PHILOSOPHIA THEOLOGIÆ ANCILLANS;

hoc est

*Pia & sobria explicatio Quæ*stionum PHILOSOPHICARUM in Disputationibus THEOLOGICIS subinde occurrentium.

AUCTORE

ROB: BARONIO,

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE, in illustri Collegio S. SALVATORIS.

OXONIÆ,

Excudit *Leonardus Lichfield*, Impensis *Guliel: Davis*, & *Tho: Robinson*, Ann: Dom: 1641.

CUM PRIVILEGIO.

B & A Sept 19 1910 - 3/ (He)

CANDIDO LECTORI S.

QVM ante quadriennium, eruditi aliquot, & honesto loco nati adolescentes, qui ex inferiori Germaniâ, ad uberiorem ingenii cultum capessendum, huc appulerant à me magnopere contendissent, ut Philosophiæ usum in S. Theologiâ iis ostenderem, & ex singulis Philosophiæ partibus, imprimis autem ex Metaphysicâ ea exciperem & seligerem quæ in controversiis Theologicis discutiendis præcipuum usum habere viderentur: placuit hoc honestæ & laudabili eorum petitioni concedere, & ejusmodi laborem suscipere, qui illis mihiq; ipsi in S. Theologiâ adjumento foret & emolumento. Quia enim me totum dicaveram sacris illis studiis, quibus, ut par est, nihil antiquius habeo, nec habebo unquam, idcirco omnes meas Philosophicas lucubratiunculas, ad S. Theologiam, velut ultimum finem referebam & ipsam Philosophiam, Dominæ suæ Theologiæ imperium agnoscere, illiq; demisse ancillari volebam. Quâ-

obrem ut pio istorum adolescentium desiderio aliqua ex parte satisfacerem, Metaphysicorum & Sententiariorum volumina evolvere cœpi & pro modulo meo explicare, ea problemata Philosophica quæ subinde occurrunt in hujus sæculi controversiis, & quibus Hæretici simplicioribus fucum facere solent. Quod cùm præstitissem & optimi isti Belgæ in Patriam remeassent, rudem & impolitam mearum disputationum congeriem, in tenebris æterna noctis jacere volebam, néq; unquam de illis evulgandis aut prelo committendis, vel levissima cogitatio animum subibat. Verùm quia docti nonnulli, & graves viri cum quibus mihi summa familiaritas intercedit, qualescunq; exercitationes illas approbarunt, easq; S. Theologiæ Candidatis in Controversiarum studio nonnihil incrementi, afferre posse existimarunt; cœpi de istius opusculi publicatione cogitare, & informem ingenioli mei fœtum, paulò operosiùs lambere, non quidem ut ex illis vigiliis & laboribus famam colligerem, sed ut eorum studia promoverem qui posito Philosophicarum disciplinarum Tyrocinio in celebritate Academiæ, publicum sui progressus testimonium consecuti, jam primùm considerare aggrediuntur, argumentosas illas, spinisq; obsitas & horrentes controversias, quas Emissarii Satanæ, hoc est, Sophistæ hujus sæculi fidelibus & piis Jesu Christi servis subinde moverunt. Quia enim ultima hac Mundi ætate, sinnosus & insidi-

osus

osus ille Serpens, effusis omnibus furorum habenis, ministros suos Tartareo afflatu correptos, & concitatos emisit, ut hominum aures dulcia falsarũ opinionum fordibus obstruant, & atrum illud ac tabificum Antichristianorum dogmatum virus, sub specie lactis Philosophici, incautæ juventuti instillent; ideò in studio controversiarum Theologicarum apprimè utile est, seriò in iis Philosophiæ partibus desudare, ex quibus Sophistæ suas ratiunculas depromunt: nam hoc pacto simpliciores præmunientur, & os obturabitur veteratoribus illis, qui veræ Philosophiæ & Theologiæ obtentu, in Ecclesiæ sinu grassantes, eam obliquè & quasi per cuniculos evertere conantur: hac cura & cogitatione adductus, molestum hunc laborem suscepi, qui si Reipub. & Ecclesiæ salutaris, si candidis rerum æstimatoribus gratus, & acceptus fuerit, non operam lusisse, sed ex eâ magnum fructum retulisse, & messem optimam messuisse videbor. Præstiti in hoc opusculo, quod pro gratiæ mihi à Domino concessæ modulo, in tanta occupationum undiq; se accumulantium mole præstare potui: præstiti inquam non ut limitatissimis gravium & doctorum virorum iudiciis usquequaq; satisfacerem, sed ut infirmis ingeniis succurrerem, quibus Philosophicæ Hæreticorum ratiunculæ magnam molestiam creant. Hic meus conatus est, hoc propositum, hic labor, cui ut benedicat Dominus, gloriosissimam ejus Majestatem vehementer etiam atq; etiam rogo.

DN. R. BARONIO,

Quondam Discipulo suo.

Pumice tersa levi, limâq́, polita recenti
Scripta ede, eximiæ dexteritatis opus.
Dogmata quæ Graia pariter Latiáq́, Minerva
Et vera & sanctæ simplicitate madent.
Quæ non convincent hostes, licèt illa rumpant,
Et grato accipiet pectore posteritas:
Præforibus stantem, cessas admittere famam?
Et dubitas operæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, te vivo, vivere charta
Incipiant cineri gloria sera nimis.
Non est quod caricem metuas, neq́, vulnera lentæ
Cimicis; aut Cynicæ classica vana tubæ.
Cum Mausolæum, scindet caprificus, & alta
Magnorum Regum marmora pulvis erunt.
Doctorum vivus volitabis in ore virorum
Et meliore tui parte superstes eris.
Sperne Theoninos morsus, humilesq́, susurros,
Negligere est satius, cum nequeas regere.
Zoilus Idaliæ carpit sandalia Divæ,
Cum nihil in Divâ, quod reprehendat, habet.

Avia

Avia Musarum lustras loca, nullius ante
Trita solo, primùm sed pede pressa tuo.
Iliacum rapuit puerum Jovis armiger ales:
Evehet ingenium te super astra tuum.

Amoris & gratulationis ergò F.

H. DANSKINUS amœniorum literarum Professor

ANDREAP.

AMICISSIMO SVO DN. R. BARONIO.

NVlla ars alterius non est opis indiga; amico
Fœdere quaq; alij consociata manet.
Sic tamen ut sacris subserviat omnis: & illis
Obstrictam famulâ se fateatur ope.
Hîc Sophiæ imprimis labor eminet: oblita nullo
Si fuco, propria simplicitate micet.
Quippe ubi cœlestis retegenda oracula veri,
Hæc facit ut niteant lumine quaq; suo.
Vincla Sophistarum si dissolvenda, latentes
Detegit insidias hæc, aperitq; dolos.
Si solidâ firmanda fides ratione, necanda
Hæresis, hæc operâ præstat utrumq; suâ.
At bona quæ pravos non detorquentur in usus,
Si furor, aut error suadet, amorve sui?
Sic Sophia in rectos usus adhibenda, Sophistῶn
Dum facta ingeniis Lesbia norma, nocet.
Hinc sacra tot tantisq; scatent erroribus: inq;
Æde DEI *hæreseῶn putida lerna viget.*
Vera involvuntur tenebris oracula: Phœbo
Non sua fulgenti lumina pulchra micant.
Vis Sophiæ in sacris usum spectare tenendum?
Vis nôsse ut Domino serviat illa suo?

Hæc

Hac Lege. Tractari Sophiæ problemata cernes,
Iudicio ingenti perfaciliq́, viâ,
Diuinis aptata, citra fucosq́, dolosq́,
Candore ingenuo, dexteritate novâ.
Vtere: sic temnes Vbiquistæ *imbellia tela:*
Arminii *mole s ingeniosa ruet?*
Quæ vafer abtrusit vasto Bellarminus *orbi*
Romulco *fastu turgida scita cadent.*
Vtiliore potest quisquam prodesse labore?
Quisquam ornat Spartam nobiliore suam?
Eia age Baroni: *ptrgas, quò vota bonorum,*
Quò virtus, quò te mens generosa vocat,
Ad meritas laudes, ad honores vera tuarum
Pramia virtutum, jam tibi strata via est.

Honoris & amoris
ergô F.

IACOBUS GLEGIUS,
humaniorum literarum
Professor TAODUNI.

ELENCHUS EXERCITATIONVM QVÆ IN HOC opere continentur.

1. DE Ente & Essentia.
2. De origine animæ, & propagatione peccati.
3. De Fide, Scientia, & Opinione.
4. De Spe & Charitate.
5. De natura & facultatibus animæ rationalis
6. De libero hominis arbitrio.
7. De Lege in genere, & in specie de Lege naturæ.
8. De natura mali.
9. De tribus operationibus primæ causæ; hoc est, creatione, conservatione, & cooperatione cum causis secundis.
10. De Deo, quatenus est unus: deq; ejus attributis incommunicabilibus, contra *Vorstium*.
11. De attributis Dei communicabilibus.
12. De triplici Dei subsistentia personali, contra *Antitrinitarios*.
13. De Deo incarnato, & unione duarum naturarum in ejus hypostasi.

14. De

IN his Quæstionibus disponendis non naturæ, sed facilioris cognitionis ordinem secutus sum: in iisdem vero proponendis & explicandis sermonis perspicuitatem & brevitatem, non verò lautitias & veneres vocum affectavi, ideoq; in distinctionibus & accuratis rerum explicationibus assignandis illa barbara, aspera, horrida, sed perspicua, & rebus ipsis quasi cognata nomina, quibus utuntur Scholastici Doctores, & Metaphysicæ interpretes Ciceronianis *vocabulis præferenda censui: Adieci etiam disputationibus Philosophicis quæstiones quasdam purè Theologicas; sed eas Philosophico more tractavi: idq; ut sciant Ecclesiæ hostes, nostræ fidei dogmata ita humanæ rationis captum superare, ut tamen veræ & rectæ rationi nequaquam adversentur.*

Si scire cupias (candide Lector) quænam problemata tractentur in his exercitationibus, ego eorum summam tibi breviter proponam.

In prima exercitatione, primò propono aliquot divisiones Entis realis ut ex iis colligam explicationem istarum vocum, Ens, Essentia, Existentia, Suppositum, & Persona. *Secundò istas voces explico. Tertiò hanc doctrinam personis Trinitatis applico.*

In secunda Disputatione, primò propono & explico

plico communem ſententiam de Origine animæ, & Propagatione peccati. *Secundo, aliorum ſententias de* Origine animæ, & Propagatione peccati *confuto.*

In tertia, primò confero Fidem *cum* Scientia, & Opinione. *Secundo, varias quæſtiones de natura* Fidei *diſcutio. Tertio, oſtendo* Charitatem *non eſſe* formam fidei; Religionem *vero ac* Theologiam *à* Fide, *non differre realiter.*

In priore parte Diſputationis quartæ, has quæſtiones de natura Spei *diſſolvo:* Vtrum Spes ſubjectivè exiſtat in intellectu? Quomodo differat Spes à Fide, quam habemus de rebus futuris? Vtrum fiducia ſit actus Spei? *In poſteriore, conſidero naturam, obiectum, ſubiectum, unitatem numericam* Charitatis, & *ordinem in Charitate ſervandum.*

In quinta, primò explico Facultates animæ, & *earum actus. Secundo, aliquot quæſtiones diſcutio, de natura & ſubiecto* Conſcientiæ, *de ratione ſuperiori & inferiori, de verbo mentis, de rebellione appetitûs ſenſitivi contra rationem, &c.*

In ſexta, explicatur natura Liberi arbitrii, *eiuſq; concordia cum præſcientia & providentia Dei, & efficacia gratiæ divinæ.*

In ſeptima, primò propono diviſiones Legum, *deinde varias quæſtiones diſcutio, de* Iure naturali, *quales ſunt illæ:* An ſecundum & quartum præceptum decalogi ſint de iure naturæ? An

præcepta

præcepta iuris naturæ ſint diſpenſabilia? An Polygamia patrum fuerit contra ius naturæ? An licuerit per ius naturæ, filiis primorum ducere ſorores ſuas? Et, an licuerit Iacobo ducere duas ſorores? *&c.*

In octava, agitur de privativa natura mali, *de cauſa* primi mali, *de diviſionibus* mali, *de ſummo* malo, *de inde doctrina de molo culpæ, & pœne homini applicatur.*

In nona, hæ quæſtiones tractantur: Poſſitne homo lumine naturæ, ſcire Deum eſſe cauſam efficientem mundi? Poſſitne etiam ſcire, Deum produxiſſe mundum in principio temporis? *&c.* Quid ſit creatio? Et, an primi parentes propriè creati fuerint? An res omnes ita à Deo dependeant, ut non poſſint operari abſq; Dei concurſu? Quomodo Deus cum homine cooperetur in malis actionibus, & tamen ſit immunis deformitate actionis? Vtrum prima cauſa, cùm cooperatur, determinet ſecundam ad ſpeciem actionis? Vtrum Deus, cùm operatur cum cauſis ſecundis, prævia motione eas excitet?

In decima, diſſeritur de Immenſitate, immutabilitate, æternitate, *&* ſimplicitate Dei, *contra deteſtabilem Hæreticum Conradum Vorſtium.*

In undecima, afferuntur, & explicantur variæ diſtinctiones Scientiæ, & voluntatis divinæ; *item diſſeritur de* dominio & poteſtate Dei.

In

In duodecima proponuntur, & solvuntur aliquot quæstiones de distinctione personarum, *& respondetur ad Antitrinitariorum argumenta ex Metaphysicâ petita.*

In decimatertia, solvuntur quædam quæstiones de humiliatione & exaltatione Christi, *& diluuntur Philosophicæ ratiunculæ Pontificiorum & ubiquitariorum.*

In decimaquarta, explicantur variæ quæstiones, de substantiâ & diversitate Angelorum, de eorundem numero, ordinibus, loco, motu, cognitione, virtute motivâ, operationibus, &c.

In decimaquinta, agitur præcipuè de illis prædicationibus, quæ occurrunt in Controversia Sacramentali.

EXERCITATIO PRIMA,

DE

Ente, Eſſentia, Exiſtentia, Subſiſtentia, Suppoſito, & Perſona.

IN QVA

illi termini METAPHYSICI explicantur.

&

Eorum uſus in S. THEOLOGIA *declaratur.*

EXERCITATIO
PRIMA,
DE
Fine, Essentia, Existentia,
Subsistentia, Suppposito,
& Persona.
IN QUA
illi termini METAPHYSICI
explicantur.
&
Eorum usus in SS. THEOLOGIA
declaratur.

AMPLISSIMO ET REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, IOHANNI Archiepiſcopo Andreapolitano, Scotiæ *totius Primati, Conſiliario Regio, & Academiæ* Andreanæ *Cancellario.*

Viro

De Eccleſiâ, De Republicâ, De Literis optimè merito:

Qui

OPeroſam ac difficilem Provinciam à Domino ſibi delegatam, ſummo labore, vigilantiâ, & aſſiduitate hactenus adminiſtravit, & in eâ adminiſtrandâ ſuo exemplo oſtendit, quàm ſuaves & indole ſuâ dignos fructus proferat vera pietas, in ijs, in quorum cordibus altè defixa, & radicata eſt.

Amplitudini

Ipſius devotiſſimus R. Baronius *hoc vigiliarum ſuarum monumentum, hoc chartaceum mu-*

nuſculum,

nuſculum, hoc officioſi animi teſtimonium, eâ quâ par eſt humilitate & reverentiâ, dedicat, offert: &

Ex

Sincero amoris affectu, quo ipſius Amplitudinem proſequitur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Eccleſiæ ſuæ præſidem & cuſtodem, maximâ animi contentione veneratur & obteſtatur,

Vt

Charum iſtud Cœlo ac terræ caput, oculo gratiæ dirigat, manu potentiæ defendat, umbraculo alarum ſuarum tegat ac refocillet, & tandem decurſo ærumnoſæ hujus vitæ curriculo cum ſanctis Patribus & priſcæ Eccleſiæ Epiſcopis in cæleſtia Tabernacula recipiat.

INDEX

INDEX ARTICULORUM PRIMAE EXERCITATIONIS.

1. *Affertur prima divisio Entis realis, & ostenditur solum Deum esse Ens necessarium.*

2. *Proponitur secunda divisio Entis realis, & probatur solum Deum esse Ens per essentiam.*

3. *Affertur tertia divisio, & explicatur quomodo Deus sit actus purus.*

4. *Affertur quarta divisio Entis realis, quae est petita à modis existendi.*

5. *Explicatio istarum vocum, Ens, Essentia, Existentia, Subsistentia, Suppositum, & Persona.*

6. *An in creaturis, suppositum & singularis eius natura re differant.*

7. *Quae sit causa cur compositionem ex Essentia & Existentia; item ex Essentia & Subsistentia, creatis substantiis, non autem Deo*

tribuant Philosophi.

8. *An hoc posito, quòd omnis perfectio sit de essentia Dei, sequatur subsistentiam personalem esse de eius essentia: & an Deus, quatenus est communicabilis tribus personis Trinitatis, sit persona, ut statuit* Cajetanus.

9. *An Deus, ut est communis tribus personis, sit singularis substantia: &, an tres personæ Trinitatis, sint tres singulares substantiæ.*

10. *An Christus, quatenus homo, sit persona: item an Christus, quatenus homo sit ubique.*

11. *An* Vbiquitariorum *argumenta ab unione personali petita, sint valida.*

12. *An subsistentia personalis τῦ λόγυ, sit naturæ eius humanæ communicata: &, an rectè aquantur, qui dicunt humanitatem Christi subsistere ubique, per subsistentiam τῦ λόγυ: item existere ubique secundùm Esse suum personale.*

EXER-

EXERCITATIO PRIMA
De Ente & Eſſentia.

ART. I.

Affertur prima diviſio Entis realis, & oſtenditur ſolum DEUM *eſſe Ens neceſſarium.*

ENS reale, primò dividitur, in *finitum* & *infinitum*; hoc eſt, in creatorem & creaturam: quæ quidē diviſio, multis aliis modis tradi & proponi ſolet: quidam enim hanc diviſionem ſic proponunt; Ens aliud eſt *à ſe*, aliud *ab alio*: alij ſic; Entium, alia ſunt

ſeu exiſtunt *per eſſentiam*, alia *per participationem*: alij ſic; *Ens aliud eſt neceſſarium, aliud contingens*. DEUS glorioſus eſt Ens infinitum, ab alio non habens exiſtentiam: item eſt Ens per eſſentiam, & ſummè neceſſarium: Creaturæ verò ſunt entia finita, ab alio exiſtentiam habentia, ideoque non neceſſaria, ſed contingentia.

2. Duo primi modi proponendi hanc diviſionem, explicatione non egent: duo verò poſtremi, non ita perſpicui ſunt: idcirco longiorem explicationem poſtulant: ego exordiar à poſtrema diviſione, quæ eſt in Ens *neceſſarium*, & Ens *contingens*. Dicitur DEUS glorioſus Ens neceſſarium; quia neceſſe eſt eum ſemper actu exiſtere; neque enim poteſt DEUS privare ſeipſum ſuo eſſe, id eſt, exiſtentiæ actu, neque aliud quidpiam id poteſt, cùm ab alio non pendeat. Creaturæ verò ſunt entia contingentia; id eſt, contingenter exiſtunt: pendent enim à conſervativa virtute cauſæ liberè agentis; id eſt, DEI, qui antequam dedit ijs eſſe, potuit illud non dare; & poſtquam dedit, poteſt auferre.

3. Multa hìc objici ſolent de neceſſitate ſubſtantiarum ſeparatarum, corporum cœleſtium, materiæ primæ, naturarum univerſalium, & propoſitionum neceſſariarum, quibus æterna veritas à Philoſophis tribuitur: verùm quia ſpinoſæ

noſæ iſtæ quæſtiones, multos ſua difficultate deterrent, & avocant à ſtudijs Philoſophicis: ego ijs omiſſis, ad alia pergam, quæ magis neceſſaria & jucunda ſunt.

ART. II.

Proponitur ſecunda diviſio Entis realis, & probatur ſolum DEUM *eſſe Ens per eſſentiam.*

ALtera diviſio eſt in Ens *per eſſentiam*, & Ens *per participationem:* Ens per eſſentiam, eſt DEUS glorioſus, qui vi ſuæ eſſentiæ exiſtit: entia verò per participationem, ſunt entia creata, quæ non habent actualem & realem exiſtentiam, in mundo, niſi communicatam & participatam ab alio, à quo producta ſunt; hoc eſt, à DEO. Vt autem intelligatur, quo modo DEUS dicatur vi ſuæ eſſentiæ exiſtere, teneantur hæc fundamenta: Primò, Exiſtentia DEI eſt de ejus eſſentia; hoc eſt, non eſt quid ſuperadditum divinæ eſſentiæ, neque à nobis concipi debet, tanquam quid ei ſuperadditum, ſed eſt aliquid in ipſa DEI eſſentia incluſum, non minùs, quàm animalitas aut rationalitas in eſſentia humana clauditur: hoc autem ſic oſtenditur: omnis perfectio ſubſtantialis eſt de eſſentia DEI (non enim eſſet eſſentia DEI in-

finitæ perfectionis, si daretur aliqua perfectio, quam ejus essentia non claudit in se) sed existentia est substantialis perfectio, ut cuivis manifestum est: ergo est de essentia DEI. Sicut igitur est de essentia hominis esse animal, aut corpus, aut substantiam, ita est de essentia DEI esse aliquid actu existens.

2. Contra verò, neque necesse, neque possibile est, existentiam creaturæ esse de eius essentia. Non est necesse, quia essentia creaturæ, non est infinitæ perfectionis. Non est possibile, quia quicquid est de essentia rei, illud necessariò rei competit, eiusque affirmatio de ea re est necessaria, & æternæ veritatis. At existentia ita se non habet in creaturis: non enim verè dico, necesse est rosam existere, aut necesse est tonitru existere: possunt enim non existere. At verè dico, necesse est rosam esse florem: aut tonitru esse sonum, etiam rosa & tonitru non existentibus. Vnde patet has esse prædicationes essentiales: non verò illas. Hæc ratio non solùm probat existentiam non esse de essentia creaturæ: sed etiam existentiam non necessariò essentiam creaturæ consequi, aut ab ea dimanare. Quicquid enim est essentiale promanando, illud necessariò de re, cui est essentiale, affirmatur: at existentia actualis (ut dictum est) contingenter creaturis competit. Interim admittimus existentiæ capacitatem seu potentiam, non contingenter,

genter, ſed neceſſario & eſſentialiter competere omni reali enti, ſive creato, ſive increato: ſed non idem de actuali exiſtentia dicendum eſt.

3. Secundum fundamentum ſit hoc: Si quis quærat undenam ſit, quod DEUS exiſtat, & non poſſit non exiſtere: nulla poteſt afferri ratio, præter hanc unam, videlicet quia eius eſſentia eſt infinitæ perfectionis; id eſt, omnem perfectionem in ſe claudit, atque adeo etiam exiſtentiam. Vnde patet DEUM rectè dici vi ſuæ eſſentiæ exiſtere. At ſi de creaturis moveatur quæſtio, undenam videlicet ſit, quòd illæ iam actu exiſtant: non reſpondendum eſt illud ideo fieri, quia talis eſt earum eſſentia, aut quia ea eſt eſſentiæ ipſarum conditio: earum enim eſſentia eſt indifferens ad exiſtere & non exiſtere; id eſt, poteſt exiſtere vel non exiſtere pro DEI arbitrio. Sed reſpondendum eſt, veram illius rei rationem eſſe, quia earum eſſentia, quæ priùs erat poſſibilis & apta ad exiſtendum ſolum modo, iam ipſo exiſtentiæ actu à DEO & cauſis ſecundis donata eſt. Non ergo poſſunt creaturæ dici exiſtere vi ſuæ eſſentiæ, ſed vi cauſarum, à quibus productæ ſunt, præcipuè autem primæ cauſæ. Vnde ſequitur eas non eſſe entia per eſſentiam ſuam, ſed per participationem & receptionem exiſtentiæ à prima cauſa. Præterea huius rei ratio reddi poteſt ex hoc fundamento,

damento, admodum perspicuo: ea est essentiæ divinæ conditio, ut non possit non existere, neque existentiam suam ab alio participare: ea verò est essentiæ creatæ conditio, ut possit pro arbitrio primæ causæ, existentiam habere aut non habere, & ut non possit existere, nisi participando existentiæ actum à prima causa. Vnde patet, primam causam, vi suæ essentiæ, existere: causas verò secundas, seu entia creata, vi suæ essentiæ, non existere, sed per actionem primæ causæ, à qua actualem existentiam accipiunt.

4. Tertium fundamentum. Essentia creaturæ rectè & verè appellatur potentia; existentia verò creaturæ benè dici potest actus superadditus essentiæ: hoc autem sic declaratur: sicut materia Physica appellatur potentia, & forma Physica actus, quia materia in se, & ex se, nullam habet formam, sed formæ capax est, seu potest recipere formam: sic essentia creaturæ potest dici potentia, quia neque in se claudit existentiam, neque eam à se habet, sed ejus capax est seu potest eam recipere, & participare à prima causa: at contrà, Dei essentia longè aliter se habet, in se enim claudit existendi actum: ideoque non se habet ad existentiam, ut potentia ad actum, nulla enim potentia in se claudit actum, sed ad actum tanquam ad quid externum refertur. Atq; hæc de divisione Entis in finitum & infinitum.

Art.

ART. III.

Affertur tertia divisio Entis realis, & explicatur quomodo DEUS *sit actus purus.*

1. TErtiò dividitur ens reale, in illud quod *merè est actuale*, illud quod *merè est potentiale*, & illud quod est *partim actuale, partim potentiale*, seu ex potentia & actu mixtum. Ens merè potentiale, est illud quod actu non existit, sed existere potest: tale ens est rosa in hyeme. Notandum hìc est, Philosophos passim dicere, ea entia quæ actu non existunt, sed realiter existere possunt, esse *in potentia objectiva*: objectum enim potentiæ productivæ quæ causis inest, est id quod à causis est producibile, seu id quod à causis existentiam nondum accepit, sed accipere potest. Ens igitur aliquod possibile, quamdiu non actu existit, est objectum potentiæ productivæ causarum, ideoque dicitur esse *in potentia objectiva*, quia videlicet habet eam potentiam, quæ competit rebus quamdiu sunt objecta potentiæ alicujus causativæ. Vbi verò illud ens actu productum est, & existentiam accepit à causis, non ampliùs est objectum potentiæ productivę causarum, & ob id dicitur non esse *in potentia objectiva*.

2. Ens

2. Ens merè actuale, seu actus purus, est Deus glorioſus, cui hæc ſumma & perfecta actualitas tribuitur: primò, ad indicandam ejus ſimplicitatem: ei enim repugnat omnis compoſitio ex potentia & actu; id eſt, ex principio aliquo potentiali vel imperfecto, & principio actuali; hoc eſt, actuante & perficiente illud alterum principium, ut poſtea declarabimus in doctrina de Deo. Secundò, ad removendam & excludendam omnem potentiam, quæ imperfectionem aliquam arguit. Tria autem ſunt potentiarum genera, quæ ob imperfectionem ſuam Deo tribui nequeunt: nimirum potentia objectiva, quæ nihil eſt aliud, quàm rei producibilitas, à cauſis ſuis: ſecundò, potentia paſſiva, quæ rebus competit quatenus poſſunt ab agente aliquo pati & tranſmutari: tertiò, potentia ad non eſſe. Prima potentia eſt rerum non exiſtentium, ideoque Deo qui neceſsariò exiſtit, nec unquam potuit non exiſtere, attribui nequit: duæ poſteriores ſunt rerum exiſtentium quidem, ſed mutabilium & paſſibilium: Deus autem eſt immutabilis, & impaſſibilis: At potentiæ activæ longè alia eſt ratio, nam potentia activa, ut benè obſervarunt Metaphyſici, potius virtutis vel facultatis nomen meretur, quàm potentiæ: nam unumquodque agit in quantum eſt in actu, unde ipſa vis agendi actualitas quædam eſt. Sed inquiet aliquis: omnis potentia eſt

ſuo

ſuo actu imperfectior: quicquid autem eſt imperfectum, vel abſolutè, vel comparativè, à DEO removendum eſt. Reſpondetur, potentiam etiam activam in creaturis ſæpenumerò eſſe imperfectiorem ſuo actu, idque quia creaturæ perfectio in operatione & exercitio potentiæ eſt poſita, eſtque perfectior cùm agit, quàm cùm non agit: at DEUS non ita ſe habet, ejus enim ſumma & infinita perfectio, ac beatitudo, in eo eſt poſita, quòd ſit DEUS, ideoque non meliùs aut perfectiùs ſe habet, cùm agit, quàm cùm non agit.

3. Ens conſtans ex potentia & actu, eſt *Ens finitum actu exiſtens in mundo:* dicitur autem eiuſmodi ens, conſtare ex actu & potentia, ſeu eſſe partim actuale, partim potentiale, ob duas rationes: Primò, quia in entibus finitis variæ reperiuntur compoſitiones, nimirum ex genere & differentia, ex materia & forma, ex partibus integrantibus, ex eſſentia & exiſtentia, ex eſſentia exiſtente & ſubſiſtentiâ illi ſuperadditâ, ex ſubiecto & accidente. In omnibus autem his compoſitionibus, (eâ ſolâ exceptâ quæ ex partibus integrantibus) eſt unum principium potentiale & receptivum, quod ob id appellatur potentia, alterum actuale & perfectivum, quod ob id dicitur actus: prioris generis principium, in omni compoſitione ſubſternitur, & poſterioris generis principium ei ſuperadditur.

additur. Hinc patet entia finita rectè dici composita ex potentia & actu. Secunda ratio est hæc: Entia finita, quamvis actu existant, & sic aliquē actum & perfectionem habeant, non tamen sunt merè actualia & perfecta, sed habent tria illa potentiarum genera imperfectionem arguentium. Primò enim, priusquam existant, habent obiectivam illam potentiam ad existen tum. Secundò, cùm existunt, habent potentiam passivam, & receptivam novorum accidentium. Tertiò, habent potentiam ad non esse, possunt enim à prima causa aboleri, & in nihilum redigi.

Art. IV.

Affertur quarta divisio Entis realis, qua est petita à modis existendi.

1. QVarta divisio Entis realis, peti potest à *modis existendi*; hoc est, modis actuali existentiæ superadditis: in omni enim Ente, actu existente, hæc tria considerari possunt: Primò, quòd habeat talem essentiam & naturam, per quam constituitur in *certo genere* Entis, & ab omnibus aliis entibus distinguitur. Secundò, quòd *actu existat in mundo*, & sic habeat existendi actum, suæ essentiæ superadditum. Tertiò,

tiò, quòd habeat talem existendi modum, suæ naturæ convenientem: substantiæ enim singulares, & completæ, ita sunt & existunt, ut non in alio sint, sed per se existant: contrà verò accidentia singularia, ut hæc albedo, hæc nigredo, ita sunt & existunt, ut non per se, sed in alio existant: unde patet duos esse generales modos existendi, ipsi existentiæ superadditos; prior est *per seitas* existendi, seu modus existendi *per se*, & non *in alio*: posterior est, modus existendi *in alio*, & non *per se*.

2. His positis, quarta divisio Entis realis, sic concipi potest: omne Ens reale, vel ita existit, ut nullo modo alteri inesse aut communicari possit; vel ita existit, ut actu in alio sit, aut saltem in alio esse possit: exempli gratiâ, hic homo, hic equus, hic lapis, nullo modo alteri insunt, per modum partis, aut formæ essentialis, aut accidentalis, vel quasi formæ: contrà verò horum membra ijs insunt, per modum partium; & accidentia ipsorum ijs insunt, per modum formarum accidentalium: dixi, *aut saltem in alio esse possit*, propter animas humanas à corpore seperatas, quæ quamvis actu non sunt in alio, in alio tamen esse possunt, ad modum partium. Vt autem hæc meliùs intelligantur, enumeranda sunt earum rerum genera, quæ aliquo modo dici possunt esse in alio, per modum partis, aut formæ.

3. Primò

3. Primò accidentia existunt in subjecto suo: secundò, partes tum essentiales, tum integrales, in toto suo: tertiò, ipsa natura rei totalis & singularis, est in eo cujus est natura, per modum formæ: natura enim rei, seu essentia, se habet ad modum formæ: id verò cujus est essentia, se habet ad modum materiæ, ideoque non solùm universalis natura inest in singularibus, sed etiam singularis natura inest in eo supposito cujus est natura: sic singularis natura Petri, est in ipso Petro: hoc est, in Petro includitur: Petrus enim non est humanitas Petri, sed est quid constans ex sua humanitate singulari, & subsistentiâ ei superadditâ, ideoque singularis eius humanitas ei inesse dicitur.

4. Quæcunque ad has tres classes referri possunt, ea non *subsistere*, seu *per se existere*, sed *alteri inexistere*, (si ita loqui liceat) dicenda sunt; ea verò quæ ad nullam istarum classium referuntur, subsistere seu per se existere dicuntur: subsistentia enim nihil est aliud, quàm modus quidam existendi, quo Ens aliquod ita existit, ut nullo modo alteri rei insit, sed aliis rebus ei inexistentibus substernatur, & supponatur: unde eiusmodi Ens Latinè suppositum, Græcè hypostasis vocatur.

5. Notandum hic est, hæc vocabula *hypostasis* & *subsistentia*, esse valde ambigua, & sex significata habere, quorum tria prima minùs

propria

propria sint; & apud Philosophos non usitata: tria verò postrema magis Philosophica sunt. Primò, accipitur hypostasis seu subsistentia, pro ipsa re subsistente; hoc est, pro supposito, aut persona. Secundò, pro vero *esse*, non pro inani ejus specie; item pro *esse* fixo & permanente. Tertiò, pro eo quod quovis modo subest: quo pacto in ædificio fundamentum, in columna basis, in vino fæx, in urina sedimentum, hypostasis & subsistentia dicitur.

6 Apud Philosophos autem *subsistere*, primò, sumitur pro *esse per se*; hoc est, non in subjecto inhæsionis: quo pacto omnis & sola substãtia, sive ea sit vniversalis, sive particularis, sive item sit completa & totalis, sive incompleta & partialis, verè dicitur Ens subsistens, seu Ens per se, non in alio existens; contrà verò accidentia, hoc modo non subsistunt, sed in alio existunt. Secundò, illud subsistere dicitur, quod nõ exiit in alio, ita ut ab eo pendeat quoad existendi actum; id est, ita ut propter imperfectum suum existendi modum extra illud, & per se existere nequeat. Hoc significatu non solùm negamus accidentia, sed etiam substantias universales subsistere, idq; quia à primis pendent quoad existentiam actualem, nam in iis & earum beneficio existunt. Secundò, negamus materiam, omnesq; formas substantiales è materiæ potentia educibiles, hoc modo subsistere: ita enim

pendent à supposito in quo insunt; ut per se & extra omne suppositum existere nequeant. Dixi, formas è *materia potentia educibiles*, ad excludendam animam humanam, cujus alia est ratio, ut statim patebit. Dixi, *extra omne suppositum*, quia materia potest quidem existere extra hoc vel illud suppositum, ut extra Socratem, aut extra Platonem; potest enim his mortuis alterius suppositi constitutionem ingredi, & ab eo sustentari, non tamen potest existere extra omne suppositum. Tertiò, negamus ipsas substantias singulares, abstractis nominibus significatas; hoc est, singulares essentias substantiarum creatarum hoc modo subsistere. Singularis enim humanitas Petri, ita in ipso Petro existit, ut per se & extra omne suppositum existere nequeat, singularis item humanitas CHRISTI, ita in CHRISTO existit, ut modo ineffabili ab ejus glorioſissima persona pendeat in suo esse. Quamvis igitur singulares homines, per se & nullo modo in alio existant, singulares tamen naturæ humanæ, non per se, sed in singularibus suis suppositis, hoc est, hominibus existunt. Dicet aliquis: singularis homo, & singularis natura humana, idem sunt. Respondetur, illud esse falsissimum, singularis enim homo, non est singularis humanitas, sed est quid constans ex singulari naturâ humanâ, & subsistentiâ ei superadditâ, ut in progressu patebit. Vnde secunda persona Trinitatis, à Theologis

logis dicitur assumpsisse singularem naturam humanam, non verò singularem hominem.

7 At contrà, hac significatione subsistentiam tribuimus, primò, omnibus singularibus substantiis completis & prædicamentalibus, hoc est, concreto nomine significatis; quales sunt, hic homo, hic equus: item personis adorandæ Trinitatis, idq; quia hæc omnia in nulla re existunt tanquam partes, aut formæ essentiales aut accidentales. Secundò, hoc sensu etiam asserimus essentiam Divinam seu Deitatem, quamvis in tribus personis adorandæ Trinitatis existat, revera subsistere: idem etiam dicimus de anima humana, quamvis ea sit in corpore, ut forma in materiâ; & in composito, ut pars in toto: idque quia neque essentia DEI à personis divinis in suo esse pendet, hoc enim imperfectionem arguit; neque anima rationalis à materia & composito, potest enim existere sine illis, & revera existit, cùm à corpore separatur.

8 Tertiò, id subsistere dicitur, quod neque actu neq; potestate existit in alio; hoc est, quod non potest includi in aliquo supposito: hoc significatu iis omnibus negatur subsistentia, quæ in aliquo supposito existunt; sive ab eo pendeant quoad existendi actum, sive non; quo pacto animam humanam, & gloriosissimam DEI essentiam subsistere negamus: illa enim est in homine ut pars in toto; hæc verò, ineffabili modo, in

tribus personis Trinitatis existit: ideoque hoc sensu sola & omnia suppositа, subsistere & subsistentiam habere dicimus: suppositum enim omne ita existit, ut nullo modo possit in alio supposito existere, tanquam accidens in subjecto, pars in toto, aut natura in eo quod naturam habet. Hinc est quòd dicant Philosophi, suppositum esse quid *incommunicabile pluribus*, & omnino ineptum ad existendum in alio. Ex his patet, in quarta hac divisione Entis, subsistentiã ultimo hoc modo accipiendam esse: nam in ea per Ens subsistens, intelligo illud, quod nullo modo alteri inest, tanquam accidens in subjecto, pars in toto, aut natura, sive universalis, sive singularis, in suo supposito. Per Ens verò alteri inexistens, intelligo id, quod aliquo modo est alteri communicabile, h. e. aptum alteri inesse.

ART. V.

Explicatio istarum vocum, Ens, Essentia, Existentia, Subsistentia, Suppositum, & Persona.

1. ESSENTIA variis modis à Philosophis describi solet. 1. sic; *Essentia rei est id quod definitione explicatur*. 2. sic; *Essentia est id, per quod res constituitur in certo genere Entis*,

tis, & ab omnibus aliis distinguitur. 3. sic; *Essentia est primum ac radicale & intimum principium omnium rei actionum, & proprietatum.* e.g. multarum operationum humanarum principia sunt habitus in animis hominum existentes: habituum principia sunt potentiæ naturales ab essentia fluentes: potentiarum principium est natura seu essentia humana: ipsa verò essentia humana, ex anima & corpore constans, nullum habet principium sui productivum, & effectivum, in homine existens: h.e. nihil in ipso homine inveniri potest, à quo profluat, aut dimanet ejus essentia. Dixi eam, nullum habere principium *effectivum*, in homine existens, quia certum est, eam habere principia constitutiva, tum Physica, tum Metaphysica. Cùm igitur rerum potentiæ naturales, potentiarumq; operationes, ab essentia originem suam trahant; essentia verò, nullam habeat causam efficientem se priorem, in ea re, cujus est essentia, meritò ea dicitur primum, ac radicale, & intimum principium omnium rei proprietatum, & actionum.

2 Denique essentia sic non incommodè describi potest; *Essentia est id, quod summè necessariò, & omnium primò, rei convenit.* Dico *summè necessariò*, ad excludenda accidentia communia, quæ contingenter adsunt illi rei cujus accidentia sunt. Dico *omnium primò*, ad excludenda propria accidentia, quæ licèt necessariò

conveniant suo subjecto, non tamen primò ei insunt, sed priùs inest essentia, à qua dimanant. Hæc igitur est generalis regula, *Quicquid summè necessariò, omnium primo, & intimè rei inest, illud est rei essentia: quicquid verò aut contingenter inest, aut propter aliud à quo profluit, quicquid item est adventitium, & non intimum, illud est aliquid essentiæ superadditum, non verò ipsa essentia.*

3 *Existentia* præcipuè ab *essentia* differt munere & officio: essentiæ enim munus est, rem in certo genere entis constituere, eamq; ab aliis omnibus distinguere. Sic homo per essentiam suam, quatenus nimirum est animal rationale, ab omnibus aliis entibus distinguitur. At existentiæ munus est, efficere ut res, talem essentiam habens, sit extra causas suas (ut loquuntur Metaphysici) aut potius, ut sit extra causarum virtutem, & potentiam productivam: res enim cùm non existit, dicitur esse *in potentia causarum suarum*; quia est producibilis à causis suis, & per earum potentiam effectivam existere potest: at ubi actu producta est, & existendi actum accepit, non amplius est in causarum potentia effectiva, sed educta est ex statu potentialitatis, in statum actualitatis; & durante eo statu, non est per causarum potentiam producibilis; oportet enim eam perire, & existendi actum, quem jam habet, amittere, priusquam à causis suis, denuò

produci

produci, & existentiam accipere queat.

4 Differt hoc officium existentiæ, ab officio essentiæ, quòd essentiæ munus in omnibus rebus sit stabile & perpetuum: contrà verò, existentiæ munus in quibusdam sit variis mutationibus obnoxium, quia ipsa nunc adest, nunc abest: e.g. existentia rosæ, aut tonitrûs, quibusdam temporibus exercet suum munus, aliis verò temporibus non exercet; ut hyeme, cùm rosa & tonitrus sunt in causarum suarum potentia, ut loquuntur. Contrà verò, harum & similium rerum essentia, suum munus perpetuò exercet: sive enim rosa existat, sive non, rosa est flos, naturâ & essentialiter ab omnibus aliis floribus distinctus: & Physici habent scientiam de rosa, etiam cùm non existit: quia nôrunt rosam esse florem ab aliis floribus distinctum, non solùm naturâ seu essentiâ, sed etiam proprietatibus, virtute, & efficaciâ: non enim putandum est, rosam cùm non existit, amittere essentiale suum discrimen ab aliis floribus, aut cum iis quoad essentiam confundi. Ex his colligi potest hæc definitio existentiæ; *Existentia est modus essentiæ superadditus, efficiens ut res eam essentiam habens, sit extra suas causas in mundo.*

5 Explicatis his vocibus, *Essentia, & Existentia*, facile est scire quid sit *Ens*: differt enim Ens ab essentiâ, & existentiâ, ut concretum à

duobus abstractis: item ut id quod habet, ab iis quæ ab eo habentur: nihil enim aliud est Ens, quàm id quod habet essentiam, aut existentiam. Notandum hìc est, Ens duobus modis accipi, *participialiter*, & *nominaliter*, ut loquuntur. Ens, ut est participium verbi *sum*, significat id, quod est actu existens: Ens verò, quatenus est nomen verbale, significat id, quod habet essentiam, existentiæ capacem, sive actu existat, sive non: & ut loquitur *Suarez*, significat ipsum *esse*, non ut exercitum actu, sed in potentia, vel aptitudine. Sic vivens, ut est participium, significat actualem usum vitæ: ut verò est nomen, significat id solùm, quod habet eam essentiam, quæ potest esse vitalis operationis principium.

6 Subsistentia propriè, & in tertio significatu accepta, in hoc convenit cum existentia, quòd neque hæc, neque illa, sit ipsum Ens, aut essentia Entis, sed modus Entis: differt tamen ab eâ, primò, quòd existentia latiùs pateat, quàm subsistentia: illa enim competit omnibus, tum substantiis, tum accidentibus: hæc verò convenit solis substantiis singularibus completis, quatenus cõcretis nominibus significantur: ut huic homini, huic equo, huic leoni: nam ut superiori articulo monui, hæc humanitas singularis aut hæc equinitas singularis, non subsistere, sed alteri inexistere dicitur: nimirum quia illa inest huic homini, hæc vero huic equo. Secundò, differunt existentia, & subsistentia, ratione muneris, seu officii sui;

munus

munus enim existentiæ, est efficere, ut res aliqua actu sit in mundo, extra causarum virtutem, aut potentiam: munus verò subsistentiæ est, efficere, ut res nullo modo possit esse in alio, vel ut pars in toto, vel tanquam accidens in subjecto, vel tanquam natura, seu essentia, in eo quod habet essentiam. Tertiò, differunt ut determinans & determinatum: sicut enim essentia est ex se indifferens ad existere, & non existere, ita existentia, est ex se indifferens ad esse in alio, & esse per se, seu subsistere: h. e. existentia est indifferens ad modum existendi innitendo alteri ut sustentanti, & ad modum existendi per se, sine dependentia ab alio recipiente & sustentante. Subsistentia igitur sic describi potest: *Subsistentia, est modus existentiæ superadditus, à quo res habet, quòd non in alio, sed per se existere possit.* Vnde à quibusdam dicitur omnimoda perfectas existendi.

7 Ex his, quæ jam dicta sunt, colligere possumus, in qualibet singulari substantia, concreto nomine significata, tres hos actus cerni posse: primò, actum essentiæ singularis, per quem substantia ea est tale individuum, ab omnibus aliis distinctum: secundò, actum existentiæ, per quẽ substantia talem singularem essentiam habens, est extra causas suas in mundo: tertiò, actum subsistentiæ, per quem ea ita est extra causas suas, ut non inexistat, aut innitatur alteri, sed aliis ei inexistentibus substet, & supponatur: unde ut supradictum

prà dictum est, *suppositum* appellatur.

8 *Suppositum* facilè explicatur, jam cognitâ naturâ subsistentiæ; nihil enim aliud est suppositum, quàm *id quod subsistentiam habet, suæ essentiæ & existentiæ superadditam:* seu id, quod in existendi actu nulli alteri innititur, sed aliis rebus ei innitentibus substernitur, & supponitur. Potest etiam sic explicari: suppositum est id, *quod nullo modo est communicabile pluribus, nullo item modo alteri inesse potest, ad modum partis, aut formæ.* Singularis igitur humanitas Petri non est suppositum, quia verè dicitur esse in Petro: item natura humana CHRISTI non est suppositum, ob eandem rationem: at ipse Petrus est suppositum, quia non inest alteri, tanquã pars in toto, accidens in subjecto, aut natura in eo quod naturam habet. Similiter CHRISTUS, & quælibet alia persona Trinitatis, est suppositũ ob eandem rationem. Accidentia non sunt suppositа, sive sint universalia, sive singularia, quia subjectis suis insunt & innituntur. Substantiæ etiam universales non sunt suppositа, quia singularibus communicantur, & insunt. Denique DEUS gloriosus, quatenus est communis, ineffabili modo, tribus personis Trinitatis, non est suppositum: idque quia, est de ratione suppositi, quòd non possit communicari, aut inesse alteri supposito: at DEUS, aut Deitas, communicatur, & inest tribus personis Trinitatis.

9 Perso-

9 *Persona* in hoc differt à *supposito*, quòd omnis persona sit suppositum, sed non omne suppositum sit persona: persona enim nihil est aliud, quàm suppositum ratione prædituum: unde à *Boëtio* sic describitur; *Est rationalis naturæ individua substantia.* Quare suppositum rectè dividitur in rationale & irrationale. Suppositū rationale, appellatur persona: suppositum irrationale, ut hic equus, hic lapis, non habet peculiare nomen sibi impositum. Persona dividitur, in creatam & increatam. Personæ increatæ sunt tres: *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Persona creata, vel est Angelica, ut Gabriel, Michael: vel humana, ut Petrus, Iohannes.

ART. VI.

An in creaturis suppositum & singularis eius natura, re differant.

1 NON statui, hìc eventilare celebrem illam controversiam, de discrimine & diversitate essentiæ ab existentia: utrum videlicet sit realis, an verò solius rationis: ea enim quæstio nullam habet utilitatem in Theologia, & spinosior est, & difficilior, quàm ut ab iis capi possit, qui in Metaphysica rudes, ac tyrones sunt. De discrimine tamen subsistentiæ, & naturæ seu essentiæ,

essentiæ, pauca dicam: istius enim quæstionis determinatio insignem usum habet in Theologia.

2 Duobus modis proponi solet hæc quæstio; primò, sic; Vtrum in suppositis creatis, subsistentia sit aliquid positivum, & realiter distinctum ab essentia singulari, cui superaddita est; an verò non sit. Secundò, sic; Vtrum suppositū, & singularis ejus natura, re differant: e.g. utrum Petrus, & singularis ejus natura humana, revera idem sint; an verò Petrus, qua Petrus, includat aliquid reale, & realiter diversum à singulari ejus natura. Sive hoc, sive illo modo proponatur quæstio, eadem controversia est; ideoque breviter respondeō, Petrum, & singularem ejus naturam, realiter differre, tanquam includens & inclusum, seu tanquam compositum & principium ejus constitutivum: suppositum enim omne creatum, ut Petrus, includit naturam singularem, & aliquid ei superadditum, subsistentiam nimirum: vel (ut planiùs dicam) omne suppositum creatum est realiter compositum ex essentia singulari & subsistentia ei superadditâ, quam nonnulli suppositalitatem, alii personalitatem vocant. Si igitur comparemus suppositū ad naturam singularem, distinguuntur ut totum & pars; at si comparationem instituamus inter naturam ipsam singularem, & subsistentiam, ut inter singularem naturam humanam Petri, & Petri subsistentiam, seu personalitatem, tum inter

ter se contradistinguuntur, tanquam duo extrema componentia suppositum illud creatum, Petrum videlicet. Vt autem hæc sententia stabiliatur, primò probandum est, subsistentiam, seu suppositalitatem, non esse meram negationem, ut opinatur *Scotus*, sed esse positivum quid, simul cum natura singulari constituens Petrum, quatenus est suppositum. Secundò, positivum illud, non ratione sola, sed realiter differre à naturâ singulari, cum qua constituit Petrum: inde autem manifestè inferam, Petrum realiter differre à singulari suâ naturâ humanâ, ejusque naturam humanam, verè, & propriè dici in eo esse. Si enim Petrus, quatenus est Petrus, seu quatenus est particularis quædam persona humana, hæc duo, i.e. humanitatem singularem, & personalitatem suam, tanquam duo principia constitutiva, re distincta, includat; necesse est ejus humanitatem singularem, re ab ipso differre, & tam vere esse in eo, quàm aut materia, aut forma ipsius in eo esse dicitur.

3 *Scotus, in 3. Sent dist. 1. qu: 1.* dicit omne suppositum, præter naturam singularem, includere etiam subsistentiam: sed asserit subsistentiam, esse meram negationem aptitudinis, seu potentiæ essendi in alio supposito: naturæ enim singulares, habent potentiam existendi in supposito: at ipsum suppositum, ut Petrus, in nullo alio supposito esse potest, ideoque ex ejus

sententia

sententia, suppositum, qua tale est, constituitur per negationem hujus potentiæ existendi in supposito. Hæc sententia meritò rejicitur à *Fr. Francisco Suarez, disp. Met. 34. sect. 2.* Primò, quia subsistentia, quam suppositum addit naturæ singulari, est perfectio quædam substantialis: sed mera negatio non potest esse perfectio substantialis; ergo mera negatio non est subsistentia. Secundò, si subsistentia, aut personalitas, sit mera negatio, tres personæ Trinitatis in suo *esse* personali constituentur, & à se invicem distinguentur per solam negationem: distinguuntur enim per suas subsistentias, aut personalitates: sed hoc est absurdum, & mysterium Trinitatis planè destruit: Ergo subsistentia non est mera negatio, sed positivum aliquid essentiæ singulari superadditum, ad constituendum suppositum.

4 Iam probandum est contra *Durandum, in 1. sent. dist. 34.* subsistentiam esse quid realiter diversum ab essentia, seu natura singulari creatarum substantiarum (nam de Deo longè aliter sentiendum est;) illud autem perspicuè ostenditur hac ratione: Assumpsit naturam humanam singularem, non autem assumpsit suppositum humanum, seu personam humanam; sic enim nó esset una simplex persona, sed gemina: Ergo suppositum humanum, & singularis ejus natura sunt re diversa; ideoque revera aliquid includitur in supposito humano, præter ejus naturam singularem:

singularem: hoc autem non potest esse aliud, quàm subsistentia, seu personalitas.

5 Hæc ratio etiam sic proponi solet: quæ possunt separari realiter, ea non sunt realiter idem; at subsistentia separari potest à singulari natura: Ergo non sunt realiter idem quid. Probatur assumptio: Christus assumpsit singularem naturam humanam; at non assumpsit personalitatem, aut subsistentiam humanam, ut fatentur omnes Theologi; Ergo separari possunt. Hæc ratio non solùm probat subsistentiam re differre à natura specifica, quæ communis est omnibus individuis; sed etiam à natura individuali, seu singulari; ideoque apertè falsam esse eorum sententiam, qui dicunt subsistentiam aut personalitatem Petri esse ejus differentiam individualem: Christus enim non assumpsit naturam humanam in communi, sed humanitatem singularem; at non assumpsit singularem personam: revera igitur, singularis persona differt à singulari natura; & aliquid includit, quod non includitur in natura singulari; subsistentiam nimirùm, & personalitatem.

6 Duabus his rationibus perspicuè probatur, suppositum omne, præter singularem suam naturam, includere positivum aliquid, realiter ab ea natura distinctum, nimirùm subsistentiam; & ob id suppositum omne creatum, esse realiter compositum ex singulari sua natura, & subsisten-

tia,

tia, quam alii suppositalitatem vocant. Dicet aliquis: si subsistentia sit aliquid reale, re distinctum ab essentia, vel est materia, vel forma, vel ipsum compositum, vel aliquod ejus accidens: Resp: illud, quod in constitutione suppositi superadditur naturæ singulari, non esse Ens aliquod propriè, sed modum Entis: ideoque neq; esse materiam, neque formam, neque compositum, neque ejus accidens.

ART. VII.

Quæ sit causa cur compositionem ex essentia & existentia, item ex essentia & subsistentia, creatis substantiis, non autem DEO *tribuant Philosophi.*

1. SUbstantiæ creatæ singulares tribus modis possunt considerari, ut suprà dictum est. Primò, quatenus habent talem essentiam. Secundò, quatenus sunt entia actu existentia in mundo. Tertiò, quatenus habent talem existendi modum, seu quatenus sunt suppositа. Si primo modo considerentur, habent compositionem ex suæ essentiæ partibus Physicis, & ejusdem gradibus Metaphysicis: e. g. si Socrates consideretur quatenus est homo, Physicè constituitur ex materia & forma sua: item Metaphysicè,

physicè, aut Logicè, ex genere & differentia; h. e. ex animali & rationali. Si singulares substantiæ secundo modo considerentur, duo includunt, videlicet *essentiam* & *existentiam*; hæ autem, saltem secundùm nostrum concipiendi modum, se habent ut potentia & actus, ut suprà explicavi: ideoque cùm ex potentia & actu semper fiat compositum aliquod unum per se, meritò dicimus singulares substantias sic consideratas, esse compositas ex essentia & existentia; h. e. ex natura & existendi actu. Sic Petrus quatenus est homo actu existens in mundo, hæc duo includit, naturam humanam, & existendi actum, includit (inquam) tanquam duo principia ex quibus constituitur.

2. Si singulares substantiæ creatæ tertio modo considerentur, i. e. si considerentur quatenus sunt suppositа, non solùm habentia essentiam actu existentem in mundo, sed etiam talem modum existendi, nimirum per se & non in alio; si (inquam) sic considerentur, duo includunt, videlicet essentiam actu existentem, & subsistentiam, seu modum per se existendi, illi essentiæ existenti superadditum: essentia autem seu natura singularis substantiæ creatæ, est potentia respectu subsistentiæ, & subsistentia est ejus actus ei superadditus, eamque perficiens; {ideoque ex essentiâ seu naturâ actu existente, & subsistentiâ ei superadditâ, meritò dicimus fieri

eri aliquod unum per ſe; videlicet ipſum ſuppoſitum. Sic Petrus, quatenus eſt talis perſona, includit ſingularem eſſentiam, per quam eſt ſingulare Ens; & ſingularem ſubſiſtentiam, per quam eſt perſona ſingularis.

3. Quæret aliquis; quæ ſit cauſa, cur iſtæ tres compoſitiones, Deo non attribuantur; cùm eſſentia, exiſtentia, & ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas, in omnibus perſonis Trinitatis inveniantur, non minùs quàm in perſonis humanis & Angelicis: quælibet enim perſona Trinitatis ſuam habet eſſentiam, & exiſtentiam, ſibi cum reliquis perſonis Trinitatis communem; habet etiam ſuam propriam ſubſiſtentiam, aut perſonalitatem, per quam à reliquis perſonis differt. Reſpondetur, earum compoſitionum nullam poſſe Deo attribui, ſalvâ ejus ſimplicitate, ſalvâ item infinitâ perfectione, & dignitate glorioſiſſimæ illius naturæ. Hoc autem manifeſtum evadet, ſi iſtas compoſitiones ſigillatim, & ſeorſim conſideremus & perpendamus.

4. Primò igitur, compoſitio eſſentialis, tum Phyſica, tum Metaphyſica, à Deo removenda eſt: illa quidem, quia ſpiritualem naturam evertit; hæc verò, quia Deus ſub nullo genere univocò continetur, ut poſtea probabitur (Deo favente) in quæſtionibus de Deo. Secundò, compoſitio ex eſſentia & exiſtentia, à Deo removetur, ob duas rationes: primò, quia

ad

ad omnem compoſitionem, ſive ſit realis, ſive rationis, requiritur ut unum ſuperaddatur alteri, propter conſtitutionem alicujus tertii: at exiſtentia, neque revera, neque ſecundùm noſtrum concipiendi modum, eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ Dei, ſed potius eſt aliquid in ipſa Dei eſsentia incluſum, ut declaravi *Art:* 1. Ergo exiſtentia Dei non poteſt cum ejus eſsentia concurrere ad conſtituendum aliquod tertium. Secundò, compoſitio ex eſsentia & exiſtentia, tribuitur ſubſtantijs creatis, quia earum *eſſe* ita ſe habet ut potentia, & exiſtentia ut actus illi ſuperadditus: at eſsentia Dei non poteſt appellari potentia, reſpectu exiſtentiæ divinæ, quia in ſe includit exiſtentiam, ut dictum eſt loco jam citato: nulla autem potentia in ſe includit actum ſuum, ſed ad actum tanquam ad aliquid ulterius & externum dirigitur.

5. De tertia compoſitione, quæ eſt ſuppoſitorum ex naturâ ſingulari & ſubſiſtentia, major eſt dubitatio; ea enim videtur Deo tribuenda, quia quælibet perſona Trinitatis, hæc duo includit, eſsentiam divinam, quæ communis eſt omnibus tribus perſonis; & particularem ſuam perſonalitatem, per quam à reliquis duabus perſonis diſtinguitur; Ergò ex his duabus compoſita eſt. Si reſpondeas, perſonam aliquam ideo non eſse compoſitam ex natura & ſubſiſtentia, quia ſubſiſtentia eſt aliquid in ipſa Dei

eſsentia incluſum, ſicuti iam dictum eſt de exiſtentia; facilè confutaberis, ſi enim ſubſiſtentia aut perſonalitas Patris eſset de eſsentia eius, eſset toti Trinitati communis, ſicut & ipſa eius eſsentia eſt. At hoc eſt abſurdum: Ergo & illud. De hac controverſia meam mentem aliquot aſsertionibus proponam.

6. Aſſert. 1. *Subſiſtentia, aut perſonalitas Patris* (idem de Filii, & Sp. Sancti hypoſtaſi dicatur) *non differt ab ejus eſsentiâ ullo genere realis diverſitatis, neque tanquam res à re, neque tanquam modus rei à re, ſed ab ea differt ſolâ diſtinctione rationis.* Probatur hæc aſſert. ſic; primò, quicquid eſt in Deo, eſt Deus, Ergo nihil eſt in Deo, quod revera, & à parte rei (ut loquuntur) ab ejus Deitate differt. Secundò, ſi perſona Patris realiter componatur ex ejus eſſentia, & ſubſiſtentia ſeu perſonalitate, duo ſequentur abſurda: primò, Deum Patrem non eſſe abſolutè loquendo & ſummè ſimplicem; ſumma enim ſimplicitas omnem compoſitionem tollit, imprimis autem realem: ſecundò, Deitatem eſse alicujus rei partem, omnis autem pars eſt incompletum aliquid, & minùs perfectum quàm totum illud cujus eſt pars.

7. Aſsert. 2. Deus *non componitur ex natura & ſubſiſtentia, tali compoſitione, qualis cernitur in creatis ſubſtantiis.* Hæc aſsert: manifeſtè ſequitur, & infertur ex præcedente: ſi enim Deus

Deus non componitur realiter ex natura & ſubſiſtentia, non habet talem compoſitionem ex natura & ſubſiſtentia, qualem habent ſubſtantiæ creatæ; nam hæ componuntur ex natura & ſubſiſtentia, tanquam ex duobus principijs re ipſa diſtinctis, & ideo earum compoſitio realis eſt.

8. Aſſert: 3. *Quamvis ſubſiſtentia Patris de ejus eſſentia non ſit, ſed ſecundùm noſtrum concipiendi modum, ſit aliquid ejus eſſentiæ ſuperadditum, non tamen licet dicere, Patris perſonam eſſe ex ijs duabus compoſitam compoſitione rationis; imò non concipere debemus iſta duo in Patre, tanquam duas partes eum componentes*: cùm enim concipimus Deitatem tanquam alicujus rei partem, formamus de Deo enormem conceptum, & imperfectionem non exiguam Deo affingimus. Quare laudanda, & imitanda videtur eorum modeſtia, qui piè ſentiunt & profitentur, eſſentiam & perſonalitatem includi in perſona Patris, Filii, & Sp: ſancti, non per modum compſitionis, ſed per modum ineffabilis conjunctionis aut unionis.

ART. VIII.

An hoc poſito, quòd omnis perfectio ſit de eſſentia Dei, *ſequatur ſubſiſtentiam perſonalem eſſe de eius eſſentia: & an* Deus, *quatenus eſt communicabilis tribus perſonis Trinitatis, ſit perſona, ut ſtatuit* Cajetanus.

1. EX præcedente doctrina, non levis oritur difficultas, de ſubſiſtentia ſeu perſonalitate: cùm enim ſtatutum ſit, omnem perfectionem eſſe de eſſentia *Dei*, neceſsariò ſequi videtur ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem in ejus eſſentia includi; ideoque *Deum*, quatenus eſt communis tribus perſonis Trinitatis, eſſe ſuppoſitum aut perſonam: ratio connexionis eſt, quia ſubſiſtentia eſt perfectio quædam ſubſtantialis, eaque non exigua; ſuppoſitum enim omne perfectiorem habet modum exiſtendi, quàm natura quæ in ſuppoſito exiſtit. Hìc igitur duo diſcutienda ſunt: primò, an ſubſiſtentia perſonalis ſit de eſſentia *Dei*: ſecundò, an *Deus* quâ *Deus*, ſit perſona quædam toti Trinitati communis.

2. Vt prior difficultas tollatur, præmiſſis duabus obſervationibus, meam ſententiam aliquot aſſertionibus proponam; primò tenendum

dum est subsistentiam tribus modis accipi à Philosophis, ut suprà dictum est: 1. enim ea subsistere dicuntur, quæ non existunt in subiecto inhæsionis: 2. ea quæ non ita insunt, ut ab iis in quibus insunt, quoad existendi actum pendeant: 3. ea quæ nullo modo alteri supposito insunt, aut inesse possunt. Secundò tenendum est, tribus his significationibus huius vocis, addi posse quartam, quæ licèt minùs frequens sit, non minùs tamen propria est. Illud enim Ens dici potest subsistere, quod ita existit ut à nulla causa procreante, aut conservante, in suo esse pendeat: hic modus existendi, *Dei* proprius est, nec ulli enti creato communicari potest, ideoque proculdubiò perfectissimus modus existendi est.

3. His positis, hæc sit Assert. 1. *Subsistentia primo & secundo modo accepta, est DEO essentialis, totique Trinitati communis:* sicut enim essentialiter *Deo* competit actu existere, ita etiam est de essentia *Dei* sic existere, ut neque in aliquo subiecto existat, neque ab aliquo supposito in quo est, quoad actum existendi pendeat.

4. Secunda Assert: *Subsistentia tertio modo accepta, etsi quatenus est in DEO, re non differat ab eius essentia, non tamen verè dici potest esse de essentia DEI:* quicquid enim est de essentia *Dei*, illud *Deo*, quâ *Deus* est, competit.

Si igitur personalitas est de essentia *Dei*, *Deus* quatenus est *Deus*, est persona, & per cõsequens, omnes tres personæ, quatenus sunt unus verus DEUS, verè dici possunt una persona: quod sanè absurdũ est, & nostræ fidei principiis contrarium.

5. Assert: 3. *Subsistentia quarto modo accepta, est de essentia* DEI, *seu est essentiale ejus attributum*; nam esse primum Ens, à se & non aliunde suum *esse* habens, est ipsissima natura seu essentia DEI.

6. Assert: 4. *Vocabulum hoc* [perfectio] *distinguendum est*; aliæ enim sunt perfectiones, *quarum negatio imperfectionem importat*, ut esse seu existere, vivere, esse Spiritum, esse bonum, esse justum: horum enim opposita, nimirùm non existere, non vivere, &c. manifestæ imperfectiones sunt. Aliæ sunt perfectiones, *quarum negatio nullam imperfectionem importat*: sic sapientissima DEI decreta de creatione & gubernatione rerum, perfectiones sunt, sed eorum negatio nullam imperfectionem importat: quamvis enim DEUS nulla talia decreta habuisset, imo quamvis contraria his decreta habuisset, imperfectior non fuisset: sic ambulare, currere, sedere, loqui, sunt perfectiones hõminis; sunt enim actus, omnisque actus est perfectio: at negatio horum actuum nullam imperfectionem involvit; quamvis negatio potentiarum ex quibus oriuntur, imperfectionis notam rei,

cui

cui tribuitur, inurat: dico negationem horum actuum nullam imperfectionem involvere, quia homo non est imperfectior, cùm non ambulat, quàm cùm ambulat, aut cùm non loquitur, quàm cùm loquitur.

6. Prioris generis perfectiones omnes sunt de essentia DEI, illique, quâ DEUS est, necessariò conveniunt: at de perfectionibus secundi ordinis, aliter sentiendum est; non enim sunt de essentia DEI, nec illi necessariò conveniunt, quâ DEUS est: v. g. decreta DEI de hominum æterna salute, & morte, etsi re non differant ab ejus essentiâ, non tamen verè dicuntur esse de essentia DEI: si enim hoc esset verum, ex necessitate naturæ DEO inessent, & sic libertas decretorum divinorum tolleretur. Ad posterius genus perfectionum, subsistentiam personalem referrimus; etsi enim ejus negatio, cùm essentiæ finitæ creaturarum tribuitur, imperfectionem involvat; cùm tamen Deitati, seu naturæ divinæ attribuitur, nulla imperfectionis labe eam aspergit: ratio imparitatis est hæc; essentia divina in se includit modum quendam existendi, longè perfectiorem subsistentiâ personali, nimirùm modum existendi absque dependentia in essendo, ab ulla causa procreante, aut conservante: dico hunc modum existendi esse perfectiorem subsistentiâ personali, quia in eo posita est perfectio primi entis; & ob id creaturis

communicari

communicari nequit: subsistentia verò personalis & hominibus, & Angelis communicatur. Contrà verò, essentia finita creaturarum in se neque existendi actum includit, neque ullum existendi modum personalitate perfectiorem: ideoque ea imperfecta est, ob defectum personalitatis, cùm Deitas nullo modo imperfecta sit, ob carentiam talis subsistentiæ.

8. *Franciscus Suarez, lib. 3. de Trinit. cap.* 10. aliam distinctionem *perfectionis* affert, sed magis obscuram, & difficilem, ideoque eam hìc non proponimus: illud autem diligenter notandum est, quod isti distinctioni addit, videlicet divinitatem, præcisis relationibus seu subsistentijs personalibus, non includere formaliter perfectiones earum: includere tamen illas eminenter, tum quia hoc necessarium est ad infinitatem illius entis; tum quia ipsa Deitas est radix, & fundamentum omnium illarum perfectionum.

9. Posterior quæstio facilè solvitur, sublatâ priori difficultate: cùm enim DEO, ut est communis tribus personis, ea subsistentia non conveniat, quæ suppositorum est propria; intrepidè dicendum est, DEUM sic consideratum non esse personam. At (inquit *Cajetanus*) DEUS quatenus est communis tribus personis, etsi non sit persona strictè & ἀπεκτῶς loquendo, potest tamen dici persona incompleta. Respondeo cum

Fonsecâ,

Fonſeca, in rebus divinis non uſurpandas eſſe novas, & inuſitatas locutiones, & ab omni Patrum conſuetudine abhorrentes: præſertim cùm quis decipi poſſit tali loquendi modo, & exiſtimare tres perſonas eſſe unam perſonam, aut ſuppoſitum.

ART. IX.

An DEVS, ut eſt communis tribus perſonis, ſit ſingularis ſubſtantia: & an tres perſonæ Trinitatis, ſint tres ſingulares ſubſtantiæ.

1. SVbſtantia apud Latinos à ſubſiſtendo (ut volunt nonnulli,) & à ſubſtando accidentibus (ut volunt alij) dicta eſt: juxta poſteriorem Etymologiam, DEUS Opt. Max. non eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiarum omnium principium, & cauſa: at juxta priorem, veriſſimè & proprijſſimè eſt ſubſtantia; non quidem univerſalis, ſed ſingularis, & individua: ſubſtantiæ enim ſecundæ indigent primis, ut in ijs exiſtant; at DEUS etiam quâ communis eſt tribus perſonis, nullâ re indiget, in qua exiſtat. Sed objiciet aliquis: DEVS, ut eſt communis tribus perſonis Trinitatis, eſt prædicabilis de pluribus; Ergo eſt univerſalis, & ſecunda ſubſtantia. Reſpond. definitionem univerſalis,

universalis, sic concipiendam esse; *universale est id quod prædicari potest de ijs, quæ sunt plura secundùm ipsum nomen universalis:* sic homo prædicatur de ijs quæ sunt plura secundùm nomen hominis, i. e. de pluribus hominibus: at DEVS prædicatur quidem de pluribus personis, non tamen dici potest prædicari de pluribus secundùm nomen DEI, i. e. de pluribus DIIS. Alij dicunt illud esse universale, *quod prædicari potest de pluribus, in quibus dividitur, & multiplicatur*: sed eodem res redit.

2. Secundò ob. nulla prima seu singularis substantia sub se continet alias primas, seu singulares substantias: at DEVS sub se continet tres personas; quælibet autem persona est singularis substantia. Resp: nulla singularis substantia, sub se continet alias singulares substantias numero, h. e. differentiis individualibus distinctas, potest tamen una singularis substantia sub se continere plures personas unam numero essentiam habentes, & solis existendi modis distinctas.

3. Altera quæstio, in titulo proposita, est; an tres personæ Trinitatis sint tres singulares substantiæ? Hujus quæstionis difficultas in hoc est posita; quòd Orthodoxi Patres statuant filium esse Patri ὁμοούσιον, h. e. ut Ecclesia latina vertit, consubstantialem, sive unius & eiusdem substantiæ; ut meritò *Hieronymus* in Epistola ad *Damasum* dixerit, *quis audeat ore sacrilego*

tres

tres ſubſtantias in DEO concedere? Contrà verò, cùm perſona ſit ſubſtantia ſingularis, tot videntur eſse ſingulares ſubſtantiæ in Deitate, quot ſunt in eâ perſonæ.

4. Huius quæſtionis determinatio duabus aſſertionibus comprehendi poteſt. Primò, novæ & inſolitæ locutiones in myſteriis fidei non ſunt uſurpandæ: vitandi enim ſunt omnes modi loquendi, qui Hæreticis vel in ſpeciem favere videntur. Qui igitur de tribus perſonis adorandæ Trinitatis loquuntur, ii uti non debent ſupradicto loquendi modo, dicentes eas eſse tres ſubſtantias; ne favere videantur *Arianis, Macedonianis, Valentino Gentili, & ejus ſectatoribus.* Secúndò, nullo modo admitti poteſt illa locutio, ſed reiicienda eſt tanquam apertè falſa, & *Tritheitica:* ſi enim tres perſonæ ſint tres ſubſtantiæ; vel ſunt tres ſubſtantiæ finitæ, vel ſunt tres ſubſtantiæ infinitæ: non ſunt tres ſubſtantiæ finitæ, ſeu creatæ, ut patet: at neque ſunt tres ſubſtantiæ infinitæ, quia non ſunt tres DII.

5. Conſequentia non eſt valida argumenti allati in contrarium: dabo enim ſimilem conſequentiam, quæ planè vitioſa & inepta eſt, omnium iudicio: ut ſi hoc modo argumentetur aliquis: Petrus ſtans, Petrus ſedens, & omne aliud eiuſmodi aggregatum, eſt ſubſtantia ſingularis accidente quodam veſtita; Ergo quot ſunt talia

talia aggregata, tot ſunt ſingulares ſubſtantiæ accidentibus veſtitæ. Si (inquam) aliquis ſic argumentetur, vitioſa erit illatio; quia Petrus ſtans, & Petrus ſedens ſunt duo talia aggregata; at non ſunt duæ ſingulares ſubſtantiæ, ſed una numero & individua ſubſtantia. Quæret aliquis: quid ex antecedente iſto, *perſona eſt ſingularis ſubſtantia*, rectè & legitimè poſſit colligi. Reſpondetur hanc eſſe iuſtam, & licitam conſequentiam; perſona eſt ſingularis ſubſtantia, Ergo quot ſunt perſonæ, tot ſunt ea quibus ſingulis competit eſſe ſingularem ſubſtantiam.

ART. X.

An CHRISTVS, *quatenus homo, ſit perſona: item an* CHRISTVS, *quatenus homo, ſit ubique.*

1. AFfirmativam quæſtionis partem probare videntur hæc argumenta. 1. Sicut omnes ſingulares Boves, Equi, Leones, &c. ſunt ſuppoſita irrationalia; ita etiam omnes ſingulares homines ſunt ſuppoſita rationalia, ſeu perſonæ: Ergo CHRISTUS, *quâ eſt ſingularis homo*, eſt perſona. 2. Omnis ſingularis ſubſtantia completa, & concreto nomine ſignificata, eſt ſuppoſitum, ut docent omnes Metaphyſici;

physici; at CHRISTUS, *quatenus est singularis homo*, est talis: ergo est suppositum: omne autem suppositum rationale est persona. 3. Homo singularis differt à singulari sua essentia, ut suppositum à natura in supposito existente; ergo CHRISTUS, *quatenus est homo singularis*, est suppositum, & proinde persona.

2. Deinde si CHRISTUS, *quatenus est homo*, sit persona, ut jam probatum est, vel est persona immensa, & ubique existens, vel est persona finita, & certo loco comprehensa: posterius admitti non potest, quia sic in CHRISTO duæ essent personæ, una finita, altera infinita; ergo dicendum est prius, videlicet CHRISTUM, *quatenus est homo*, esse personam immensam, in omni loco, & extra omnem locum existentem: & proinde non solùm fatendum est, illam propositionem, CHRISTUS *homo est ubique*, esse veram; sed etiam illam, CHRISTVS *quatenus homo, est ubique*.

3. Vt huic quæstioni satisfiat, dico primò, ambiguam, & proinde distinguendam esse illam propositionem, CHRISTVS, *quatenus est hic homo, est persona*; nam ut loquitur *Suarez, in tertiam partem D. Thomæ, Tom.* 1. *quæst.* 16. *art.* 11. illa particula *quatenus*, vel *reduplicat suppositum*, vel *reduplicat naturam*: h. e. vel hic est ejus sensus; CHRISTVS

ratione

ratione naturæ humanæ ab eo assumptæ est persona; & sic propositio est apertè falsa, nam CHRISTVS neque habet à sua humanitate quòd sit persona simpliciter, neque ab ea habet novam aliquam subsistentiam, aut personalitatem; sic enim in eo duplex esset hypostasis; neque verum est dicere humanitatem ab eo assumptam, suam propriam subsistentiam, aut personalitatem habere, quia ea alteri inexistit, & non subsistit: Idcirco negandum est CHRISTVM ratione naturæ suæ humanæ esse personam: vel hic est ejus sensus; CHRSTVS, *quatenus est suppositum humanam naturam includens, est persona*; & sic propositio est verissima, ut probant tria illa argumenta in limine articuli posita; illud enim suppositum, in quo est humanitas, est persona.

Alii brevius respondent, CHRISTVM, quatenus est hic homo, duo includere, videlicet *subsistentiam divinam, & naturam humanam*; & dicunt CHRISTVM, *quatenus est homo*, esse personam respectu subsistentiæ divinæ, quam materialiter includit, non verò respectu naturæ humanæ assumptæ, quam magis formaliter & directè importat illa vox, *hic homo*.

5. Dico secundò, illum modum loquendi, CHRISTVS, *quatenus homo est, est persona*, fugiendum esse: 1. Quia *Nestoriano* dogmati,

ti, quo duæ personæ CHRISTO tribuuntur, favere videtur. 2. Quia reduplicatio propriè accepta importat propriam rationem, vel causam cur attributum insit subjecto: certum autem est rationem, secundùm quam personalitas CHRISTO competit, non esse in natura humana, & proindè CHRISTVM non satis commodè dici personam, quatenus est hic homo. 3. Quia Theologi, dum differunt de CHRISTO, & utuntur illis reduplicationibus, *quatenus* DEUS, *quatenus homo*, aut *quatenus hic homo*, non respiciunt CHRISTI subsistentiam personalem, sed naturam: designant enim naturam, secundùm quam hæc, vel illa attributa, CHRISTO conveniunt: at personalitas non competit CHRISTO, secundùm naturam humanam, ideoque insolens est illa locutio, CHRISTVS, *quatenus est hic homo, est persona*.

6 Quod ad alteram partem argumenti attinet, respondendum est ut suprà, CHRISTUM, *quatenus est hic homo*, duo includere, videlicet subsistentiam divinam, & naturam humanam ei superadditam: respectu subsistentiæ divinæ, quam materiali quadam ratione includit, dici potest CHRISTUS, *quatenus est hic homo*, esse persona immensa, & nullo loco definita: respectu naturæ humanæ quam magis formaliter, & directè importat illa vox, *hic homo*, recte negatur CHRISTUM, quatenus est hic homo, esse personam immensam, & ubiq; existentem; idq;

quia ejus natura humana habet suum particulare *ubi*, & certo loco comprehenditur.

7 Cæterùm licèt illa propositio aliquo sensu vera sit, ut jam dictum est; quia tamen *Ubiquitariorum* errorem redolet, quia item sensus quem verba illius propositionis evidentiùs præ se ferunt, est absurdus, videlicet *quòd* CHRISTVS *ratione naturæ humanæ sit immensus; seu quòd ejus humanitas immensa sit*; ideo rejicienda est, & sedulò cavenda.

ART. XI.

An Ubiquitariorum *argumenta ab unione personali petita sint valida.*

1 PRIMA objectio eorum, qui humanæ CHRISTI naturæ, immensitatem quandam affingunt, sic proponi solet; *Quicquid personaliter conjunctum est cum toto λόγῳ, illud existit ubicunq; existit ὁ λόγος: at natura humana* CHRISTI *est talis: Ergo.* Respondetur, propositionem esse apertè falsam: nam ex personali unione duarum naturarum in CHRISTO, non non magis sequitur, humanitatem esse ubicunq; est Deitas, quàm ex unione substantiali animæ nostræ cum materia capitis, sequitur capitis materiam esse ubicunq; est anima, h. e. esse in

pede

pede, quia anima est in pede: dico eam esse substantialiter conjunctam toti animæ, quia tota anima est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Si igitur benè & acutè argumentantur *Ubiquistæ*, cùm talem syllogismum exstruunt, bona & efficax erit hæc argumentatio; *Quod substantialiter est conjunctum toti animæ, illud existit ubicunq; existit anima: at materia capitis est substantialiter conjuncta toti animæ: Ergo est ubicunq; est anima*: anima autem est in materia pedis: Ergo etiam materia capitis est in materia pedis.

2 Secunda ob. *Unio duarum naturarum in* CHRISTO *facta est, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀδιαστάτως: Ergo non existit earum una, nisi ubi existit altera: i. e. in omnibus locis coëxistunt.* Respond. adverbia *inseparabiliter & indistanter*, cùm adhibentur ad explicandum modum, quo uniuntur duæ naturæ in personâ τῇ λόγῳ, duplicem usum habere: primò enim adhibentur, ad refellendū *Nestorii* errorem, qui has naturas non tantùm distinxit, sed divisit & separavit, utriq; naturæ suam propriam hypostasin affingens; ideoque illas non conjunxit in unam hypostasin. Secundò ut sciamus istam unionem esse indissolubilem, & has naturas, postquam semel conjunctæ sunt, nunquam disjungi aut separari posse. Negamus igitur istam consequentiam, *humana & divina natura, indissolubiliter, & inseparabiliter,*

in una persona conjunctæ sunt: Ergo ubicunq́ existit earum una, ibi etiam existit altera; ratio est, quia per distinctionem localis præsentiæ duarum naturarum, earum unio non dissolvitur, sed potius naturarum veritas asseritur, & confusio tollitur.

3 Instabit aliquis primò: *Si istarum naturarum una ibi existit, ubi non existit altera, tum earum una, ab altera separatur: at verum est prius: Ergo etiam posterius.* Resp. Negando connexionem: anima enim humana, quæ tota est in materia capitis, est etiam tota in aliis membris, in quibus materia capitis non existit; at unio animæ cum materia capitis, hoc pacto non dissolvitur: nam, ut omnes nôrunt, anima non nisi per mortem hominis, divellitur & separatur à capite, & reliquis membris. Secundò inst. *Anima, quæ tota existit in materia capitis, & tota extra eam, non unitur capiti, unione adæquatâ, & completâ; sed ei unitur, tanquam materiæ partiali & incompletæ: contrà vero unione adæquatâ, & completâ, unitur toti corpori, quia anima ita est tota in toto corpore, ut nullo modo sit extra illud: Ergo, cùm ex sententia* Calvinistarum, *tota Deitas existat in humanitate, & etiam tota extra eam, unio* τοῦ λόγου *cum humanitate, non erit adæquata, & completa.* Respond. Imparem esse rationem: unio enim animæ cum materia capitis, dicitur incompleta, quia non est unio *totius*

cum

cum toto: i. e. totius formæ cum tota materia, sed cum ejus parte: at unio τῦ λόγυ cum humana natura, est totius cum toto: i. e. totius Deitatis CHRISTI, cum tota ejus humanitate in una hypostasi. Vera igitur ratio cur unio animæ cum materia capitis, sit inadæquata, non est quòd anima existat extra materiam capitis, sed quòd non sit unio totius cum toto: i. e. integræ formæ cum integra materia. Quamobrem non est, quòd *Vbiquitarii* nobis objciant, nos personã CHRISTI solvere, naturas ipsius divellere, & inadæquatam conjunctionem naturarum ei affingere: sed contrà est quòd nos doleamus, & miremur, tam elumbia argumenta, tam pueriles ineptias, viris ab eruditione claris placere, & imponere potuisse.

4 Tert: ob. *Secunda persona Trinitatis, postquam humanam naturam assumpsit, semper & ubiq; est* DEUS INCARNATUS: *Ergo nusquam est* EXCARNATUS, ut insolenter loquitur *Philippus Nicolai*. Resp. Illud argumentum, nihil concludere contra nos, & proinde totum admitti posse: cùm enim incarnatio DEI posita sit, in humanæ naturæ assumptione, ejusq; conjunctione hypostatica cum divina, necesse est excarnationem (ut cum *Philippo Nicolai* loquar) significare humanæ naturæ depositionem, desertionem, & unionis jam factæ dissolutionẽ: absit autem dicamus, beatissimum λόγον, carnem,

quam in utero Virginis assumpsit, alicubi deponere, exuere, aut è suâ hypostasi exterminare. Instabit aliquis primò; si λόγος existit extra carnem, λόγος est alicubi excarnatus: at verum est prius, ex vestra sententia. Ergo etiam posterius admittere tenemini. Resp. Negando illam cõnexionem; sicut enim tota anima humana existit extra materiam capitis, salvâ ejus unione cum materiâ capitis, ita etiam totus λόγος existit & in carne, & extra carnem, salvâ sua personali unione cum natura humana; & proinde τὸ *esse extra carnem* non necessariò infert *excarnationem*, seu unionis istius personalis dissolutionẽ. *Matthias Martinus* acutissimus Theologus, ad hujusmodi argumentum à *Balthasare Mentzero* propositum respondens, dicit vocularn *extra* esse ambiguam; & aliàs idem valere quod *ultra*, h.e. negare rei unius inclusionem in alia re: aliàs autem, importare separationem, & negare unionem; priore modo dicit λόγον existere extra carnem à se assumptam, non verò posteriore modo.

5 Instabit aliquis secundò: Si λόγος, *priori modo est extra humanitatem*, λόγος *alicubi non erit homo: at* λόγος *nusquam non est homo: Ergo nusquam est extra humanitatem*: probatur assumptio: λόγος semper & ubique est homo, nam semper & ubique est ἄνθρωπος. Resp. Quamvis *Sanctus Thomas*, & cum eo ferè omnes Scholastici

Scholastici Theologi, putent illam propositionem, λόγος *ubiq; est homo*, simpliciter esse falsam, puto tamen distinctionem esse adhibendam: vel enim hic est ejus sensus, λόγος *ubiq; est persona, humanam naturam sibi unitam habens*: vel hic est ejus sensus, λόγος est persona habens naturam humanam, *ubiq; sibi unitam, ideoq; ubique sibi localiter præsentem*. In priori sensu propositio est vera, & à nobis admittitur, quia nostræ sententiæ non contradicit: in posteriori verò, planè falsa est, & proinde à nobis nunquam admittetur. Inter hos duos sensus istius propositionis, ingens esse discrimen, ex his exemplis liquet: *Maritus ubiq;, seu ubicunq; existit, est vir uxorem habens*, est propositio vera: at hæc, *maritus est vir, ubiq;, seu in omnibus locis uxorem habens*, est propositio falsa: Similiter hæc, *Dominus ubiq; est vir, servum habens*, propositio est vera: hæc verò, *Dominus est vir, ubiq; servum habens*, falsa est.

6 Instabit aliquis tertiò: Si λόγος *non habet naturam humanam ubiq; sibi unitam & localiter coëxistentem, totus* CHRISTUS *non est ubique, sed una tantùm eius natura, videlicet Deitas: at absurdum est posterius: Ergo etiam prius.* Resp: Negando connexionem propositionis: nam ex antecedente istius connexæ propositionis, bene sequitur *totum* CHRISTI, i.e. omnes partes CHRISTI, non esse ubique; non verò be-

bene sequitur *totum* CHRISTUM non esse ubique. Hanc distinctionem cur repudiet D. *Iacobus Andreæ*, & cum eo reliqui *Vbiquitarii*, magnopere demiror: *Totus enim* CHRISTUS est homo, sed non *totum* CHRISTI; *totus* CHRISTUS est passus, mortuus, & resurrexit; sed non *totum* CHRISTI: i.e. utraq; ejus natura.

7 Instabit aliquis quartò: CHRISTUS *non est totus, sine humanitate: Ergo si totus* CHRISTUS *est ubiq;, humanitas* CHRISTI *est ubiq;.* Resp. Negando sequelam; istius enim argumenti consequentia, est planè ridicula, & refutatione indigna, ut patet ex his exemplis, quæ similem consequentiam continent: *Totus* CHRISTUS *non est sine Deitate: Ergo si totus* CHRISTUS *est passus & mortuus, Deitas etiam passa est, & mortua:* Item, CHRISTUS *non est totus, sine pede suo: Ergo si totus* CHRISTUS *est homo, pes* CHRISTI *est homo.*

ART. XII.

An subsistentia personalis τῦ λόγυ, sit naturæ eius humanæ communicata: Et an rectè loquantur, qui dicunt, humanitatem CHRISTI *subsistere ubiq;, per subsistentiam τῦ λόγυ; Item existere ubiq;, secundùm* esse *suum personale.*

1 EX eo quod dici solet hypostasin, aut subsistentiam τῦ λόγυ, communicatam esse carni

carni CHRISTI, duo consectaria ducuntur: primò enim *Vbiquitarii* inde colligunt, omnipræsentiam, imò & proprietates omnes τῆ λόγυ, esse humanæ naturæ communicatas; ratio consequentiæ est, quia hypostasis τῆ λόγυ, non differt realiter ab ejus essentia, ideoque nec à proprietatibus ejus essentialibus: *Si igitur verum est hypostasin* τῆ λόγυ, *esse carni communicatam, etiã proprietates eius, eodem modo ei communicatas esse fatendum est*. Secundò, nonnulli etiam ex nostris Theologis, qui putant CHRISTI carnem posse dici ubiq; subsistere, per subsistentiam τῆ λόγυ, licèt in uno solo existat, ex eodem fundamento, sic ratiocinantur. *Humana natura* CHRISTI *communicata est subsistentia* τῆ λόγυ; *cùm igitur* τῆ λόγυ *subsistentia infinita sit, & nullius loci ambitu includatur, caro* CHRISTI, *per eam subsistentiam sibi communicatam, dici potest ubiq; subsistere*: hoc posterius argumentum periculosius est præcedente, quia tantopere placet quibusdam Orthodoxis Theologis, ut profiteantur nos in hac controversia de locali præsentia carnis CHRISTI, λογομαχεῖν, & non nisi verbali dissidio, ab *Vbiquitariis* discrepare; quod an verum sit, judicent illi qui historiam *colloquii Mompelgartensis* & *Bezæ* ac *Iacobi Andreæ* Polemica scripta super hac materiâ diligentiùs considerârunt.

2 Vt igitur duo illa argumenta perspicuè diluantur

diluantur, distinguendum est verbum *communicandi*, & docendum quo sensu CHRISTI subsistentia sit λόγῳ communicata: tenendum igitur est, aliquid tribus modis dici alteri communicari. Primò, *& inhæsivè & denominativè*, quo modo odor pomi communicatur manui: nam & odor ille, saltem idem specie, inest manui, & denominat manum, i.e. verè prædicatur de manu. Secundò, communicatur aliquid *denominativè, sed non inhæsivè:* quo pacto Reges & Imperatores communicant imperii dignitatem uxoribus suis, illæ enim denominantur Imperatrices, & reginæ, non quòd in se habeant potestatem, aut authoritatem imperialem, sed quòd earum mariti istam authoritatem habeant. Tertiò, communicatur aliquid alteri, neque *inhæsivè*, neque *denominativè*, sed vel *effectivè*, quo modo Deus dicitur communicare seipsum creatis entibus; illa enim dicuntur entia & bona, participatione primi entis, & primi boni*, ut loquitur *Zanchius*; vel *sustentativè*, quo modo accidentibus suis communicatur subjectum, ea videlicet sustentando, & recipiendo in se: vel *aliquo alio simili modo*. Dico hæc neque communicari *denominativè*, neq; *inhæsivè*, quia Deus neque existit in creaturis tanquam forma essentialis, aut accidentalis in suo subjecto: neque de iis prædicatur, prædicatione verâ & affirmativâ; subjectum etiam neq; inest accidentibus suis, neque

neque ea denominat, ſed contrà ab iis denominatur.

3 Hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentia τῦ λόγυ, tertio hoc modo communicatur naturæ ejus humanæ; h.e. neq; communicatur ei *inhæſivè*, neq; *denominativè*, ſed *ſuſtentativè* tantùm. Prior pars hujus aſſertionis ſic declaratur: Humana natura CHRISTI (ut benè notat *Martinius* contra *Mentzerum*) omnis propriæ perſonalis ſubſiſtentiæ expers eſt, & nullo modo ſubſiſtit: h. e. *neq; per ſe, neq; per accidens*; ſive, ut planiùs loquar, *neq; naturâ ſuâ, neq; ex unione*. Ergo ſubſiſtentia τῦ λόγυ, neq; *inhæſivè*, neq; *denominativè* ei communicata eſt: Probatur antecedens: Si humanitas CHRISTI aliquo modo ſubſiſtit, aliquo modo eſt ſuppoſitum aut perſona, & proinde aliquo ſenſu verum erit CHRISTVM aſſumpſiſſe ſuppoſitum, aut perſonam: at abſurdũ eſt poſterius: Ergo etiam prius. Probatur connexum, quia ſuppoſitum & ſubſiſtentia reciprocantur, adeo ut omne ſuppoſitum habeat ſubſiſtentiam, & omne ſubſiſtentiam habens ſit ſuppoſitum. Dicet aliquis: Ergo caro CHRISTI planè deſtituitur perſonalitate. Reſpondetur, eam non deſtitui perſonalitate, hoc ſenſu, quaſi non ſit perſonæ alicui unita, eſt enim unita perſonæ τῦ λόγυ; ſed quòd ſubſiſtentia propriè, & formaliter ei neq; inſit, neque attribui poſſit.

4 Idem etiam ſic demonſtrari poteſt: Si humana

mana natura CHRISTI subsistit, vel per se subsistit, id est, ex se subsistentiam habet, vel subsistit quatenus existit in persona τῦ λόγυ: prius à nullo admittetur: at neq; posterius manifestâ absurditate caret; quod sic probatur: Caro CHRISTI, quatenus existit in persona τῦ λόγυ habet modum quendam existendi subsistentiæ contrarium, Ergo non subsistit. Probatur antecedens: *Esse in alio supposito, & subsistere*, seu esse per se, & extra omne aliud suppositum, sunt duo oppositi modi existendi, at caro CHRISTI, quatenus existit in persona τῦ λόγυ, habet priorem modum existendi. i. e. existit in supposito: Ergo non potest habere posteriorem, qui ei è diametro opponitur.

5 Posterior pars nostræ assertionis sic declaratur: ὁ λόγος naturam nostram, ad suam hypostasin gratiosè recepit & assumpsit, ita ut ejus hypostasis carnem sibi intimè præsentem habeat, eamque sibi personaliter unitam gestet; contrà verò caro in illa hypostasi hæreat, & sustentetur. Ex quo fit, ut CHRISTI hypostasis, seu personalis subsistentia, rectè dicatur communicata humanæ naturæ *sustentativè*.

6 Ex hac distinctione communicationis liquet, quid respondendum sit ad utrumque argumentum, in limine hujus articuli propositum: cùm enim hypostasis CHRISTI neq; *inhæsivè*, neq; *denominativè* communicata sit humanita-

ti

ti ipsius; evidens est *Vbiquitarios*, ex communicatione hypostaseos τῦ λόγυ, non posse colligere, proprietates ejus essentiales communicatas esse assumptæ carni, aut *inhæsivè*, aut *denominativè*, & proinde negandas esse omnes illas illationes, quibus ex eo fundamento concludunt carnem CHRISTI esse omniscientem, omnipræsentem, omnipotentem, &c. Simliter cùm falsæ sint omnes illæ enuntiationes, quibus subsistere aut *esse* aliquod personale carni CHRISTI tribuitur, quia viz. nullam habet subsistentiam sibi convenientem, nullumque *esse* personale, sed modum quendam existendi iis contrarium, consequens est CHRISTI humanitatem, neque posse dici subsistere ubique, per subsistentiam τῦ λόγυ, neque existere ubiq; secundùm *esse* suum personale. Dicet aliquis; natura humana CHRISTI conjuncta est cum personâ τῦ λόγυ, quæ omnipræsens est, & omnipotens: Ergo natura humana dici potest omnipræsens, & omnipotens *personaliter*. Resp. Si ista consequentia admittatur, pari ratione admittendæ etiam sunt hæ consequentiæ: *Humana natura CHRISTI unita est cum persona infinita, & æterna: Ergo ipsa est infinita & æterna personaliter, seu secundùm suum* esse *personale*: Item, *est conjuncta cũ ea persona, quæ DEUS est & Creator, ac Redemptor Mundi: Ergo hæc ei conveniunt personaliter.*

7 Quæret

7 Quæret hic aliquis, an quemadmodum actus subsistendi, ita etiam actus existendi, à CHRISTI carne removendus sit. Resp. Nequaquam: caro enim CHRISTI, licèt non subsistat, revera tamen habet propriam existentiam, distinctam ab existentia τοῦ λόγου, sed ab ea dependentem. Dico eam habere existentiam, distinctam ab existentia τοῦ λόγου, quia omne Ens creatum habet & essentiam, & existentiam distinctam ab essentia & existentia creatoris. Dico eam habere existentiam pendentem ab existentia τοῦ λόγου, quia per se, & extra personam τοῦ λόγου existere non potest.

FINIS.

EXERCITATIO SECVNDA,

DE

Origine Animæ, & propagatione Peccati.

IN QVA

communis ſententia explicatur, *ac defenditur.*

&

Omnes modi, quibus alii animarum traductionem, & Peccati propagationem *explicant, confutantur.*

EXERCITATIO SECVNDA.

DE

Origine Animæ, & propagatione Peccati.

IN QVA

communis sententia explicatur, *ac defenditur.*

&

Omnes modi, quibus alii animarum traductionem, & Peccati propagationem *explicant, confutantur.*

REVERENDO CLARISSIMO, ET AMPLISSIMO

DOMINO,

DN. ALEXANDRO GLADSTONIO, ACADEMIÆ RECTORI MAGNIFICO, ARCHIDIACONO *ANDREAPOLITANO,*

Et Pastori nostro Dignissimo;

VIRO

Acti ingenio, judicio ingenti, & eximiâ morum indole conspicuo;

Cui

QVòd Reip: literariæ commodis tantoperè studuerit, & illius negotia tantâ fide procurârit, Alma Mater Academia *multùm se debere fatetur;*

Hanc

Secundam dissertationem, amantis & observantis animi pignus, reverenter consecrat, & dicat,

Magnificentiæ ejus

observantissimus

R. Baronius,

PHILOSOPHIÆ

PROFESSOR.

INDEX ARTICULORUM SECUNDAE EXERCITATIONIS.

1. *DE formarum materialium, & immaterialium diversitate.*

2. *De duplici materiæ causalitate, & potentia: item de formarum eductione ex potentia materiæ.*

3. *An anima rationalis sit ex traduce.*

4. *An & quomodo homo verè generare hominem dicatur.*

5. *Utrum generatio posita sit in productione formæ? an verò in conjunctione formæ cum materia.*

6. *An præcedens doctrina tollat* peccati originalis *propagationem.*

7. *Solvuntur argumenta, quæ afferri solent contra præcedentem doctrinam de propagatione nativæ corruptionis, per semen parentum.*

8. *Proponuntur & solvuntur aliquot quæstiones de propagatione* peccati originalis.

9. *Diluuntur leviora argumenta, quæ afferri solent contra creationem, & infusionem animæ.*

10. *An possit reddi commodior aliqua, aut expeditior ratio traductionis concupiscentiæ, seu propensionis ad malum, quam diximus esse tertiam partem* peccati originalis.

11. *Considerantur duæ aliæ sententiæ de traductione peccati.*

12. *Ostenditur, eos qui animarum creationem impugnant, multùm inter se dissentire; & confutantur tres prima eorum sententiæ de origine animæ.*

13. *Refellitur quarta sententia, quæ est* Balthasaris Meisneri.

14. *Confutatur quinta sententia, quæ est* Timothei Brighti *Cantabrigiensis.*

15. *Confutatas iam esse omnes Adversariorum sententias de Traduce: item neminem ex isto numero, posse tutiùs aut facilius explicare peccati propagationem, quàm nos, qui animarum creationem defendimus.*

EXER-

EXERCITATIO SECUNDA.

De origine animæ, & propagatione peccati.

ART. I.

De formarum materialium, & immaterialium diversitate.

UT Decisio hujus quæstionis, *De origine animæ*, facilius intelligatur, quædam præmittam de formarum diversitate, deque varia causalitate, & potentia materiæ, respectu formarum, quæ in eam introducuntur, aut ex ea educuntur.

2. Primò igitur tenendum est, tria esse genera effectorum, quæ propter certum aliquem finem, non verò temerè aut fortuitò producuntur: nam eorum alia omnium quatuor causarum, alia trium, alia duarum tantùm concursu producuntur. Omnium quatuor causarum concursu producuntur substantiæ corporeæ, quæ non possunt habere *esse* aliquod reale in mundo, nisi duæ causæ internæ, viz: materia & forma, duæ item externæ, i. e. efficiens & finis concurrant, ad tribuendum ijs existendi actum. Trium causarum concursu, videlicet efficientis, materiæ, & finis, producuntur omnes formæ accidentales seu accidentia, omnes item formæ substantiales, solâ animâ rationali exceptâ: duarum causarum concursu, videlicet efficientis, & finis, producuntur Angeli, & animæ humanæ: Angeli enim neque ex materia & forma constant, neque in materia existunt; ideoque duas tantùm habere possunt causas, videlicet efficientem & finem. Animæ verò humanæ, licèt in materia existant, non tamen ex materia & forma constant, neque producuntur vi materiæ, in qua existunt; cùm enim sint spiritus, nullius materiæ vi produci possunt, ut mox probabitur, sed à Deo ex nihilo creantur, & in materiam inducuntur, propter optimum finem, videlicet Dei gloriam, & ipsorum hominum salutem æternam.

3. Dixi formas accidentales, ut albedinem, nigredinem,

nigredinem, &c. trium causarum concursu produci, quia ut albedo habeat *esse reale* in mundo, 1. oportet finem aliquem, seu propositum excitare, & allicere efficientem ad agendum: 2. Oportet efficientem adhibere suam vim, seu concursum activum: 3. Oportet *materiam in qua*, seu subjectum albedinis, concurrere, & cooperari concursu passivo, ad tribuendum illud *esse* albedini: hoc autem præstat, recipiendo actionem causæ efficientis & producentis albedinem, item recipiendo ipsam albedinem, eamque sustentando. Ex trium harum causarum concursu, pendet albedinis aliorumque accidentium existentia, præcipuè verò à materia, in qua recipiuntur, quæque concursu passivo producit & sustentat ipsorum *esse*: idque quia ex efficiente, & fine, pendent tantùm quoad *fieri*, ex materia autem seu subjecto pendent, & quoad *fieri*, & quoad *esse*: nam neque possunt fieri sine concursu materiæ in qua existunt, neque possunt in existendi actu perseverare, illâ materiâ sublatâ: at efficiente & finali causâ sublatis, potest accidens jam productum, in existendi actu perseverare, ut liquet ex infinitis penè exemplis.

4. Dixi omnes formas substantiales, animâ humanâ exceptâ, etiam trium causarum concursu produci: quia ut forma lapidis v. g. actu existat, 1. oportet finem aliquem motione

metaphoricâ movere efficientem, 2. necesse est efficientē activâ suâ virtute disponere materiam lapidis, ad recipiendam illam formam substantialem. 3. Oportet materiam, in genere causæ subjectivæ, concurrere ad producendam, & sustentandam illam formam, idq; quia illa forma pendet à materia, quoad *fieri*, *esse*, & *operari*; h. e. neq; potest fieri, neque esse, neq; operari, sine materia in qua existit: ista autem dependentia formarum substantialium à materia, manifestè arguit materiam esse formarum in ea existentium causam, non quidem *activam*, sed *passivam*, & *subiectivam*, ut vocant: omnis enim dependentia alicujus ab aliquo, tanquam à priori, in *fieri*, & *esse*, est evidens causalitatis indicium: at longè aliter se habet anima humana; ea enim post mortem hominis & existit, & operatur extra materiam. Ergo à materia non pendet quoad *esse*, & *operari*: at neque ab eâ pendet quoad *fieri*; idque quia materia non potest vi aliquâ, aut concursu causali tribuere *esse* spirituali substantiæ, qualis est anima rationalis, ut mox probabitur, & proinde nullo modo est ejus causa. Hinc consequitur, animam esse ex earum rerum numero, quæ duarum tantùm causarum concursu producuntur, efficientis videlicet & finis: patet item animam rectè appellari formam *immaterialem*, seu *independentem* à materia, cùm è contrario omnes aliæ formæ, tum substantiales,

stantiales, tum accidentales, vocentur formæ *materiales*, & à materia *pendentes*. v. c. Forma ignis, sicut existere nequit extra suam materiam, ita etiam sine ea non potest calefacere, & comburere. Forma bruti, sicut existere nequit sine materia sua, i. e. corpore, ita sine eâdem sentire, aut appetere non potest. At anima humana, non solùm existit extra materiam post mortem hominis; sed etiam extra eam operatur, exercendo actus intelligendi, volendi, gaudendi, aut dolendi.

ART. II.

De duplici materiæ causalitate & potentia, item de formarum eductione ex potentia materiæ.

1. IN hoc articulo notandum est primò, Materiam seu causam materialem, duplicem habere causalitatem, unam respectu compositi, seu materiati: alteram respectu formarum ab ea pendentium. Causalitas ejus respectu compositi, est in eo posita, quòd tanquam pars essentialis constituat compositum: respectu formarum ab ea pendentium, causalitas ejus in eo est posita, quòd concursu passivo concurrat cum agente ad tribuendum ijs *esse*, & ad illud ipsum *esse* conservandum.

2. Secundò

2. Secundò notandum est, duplicem esse materiæ potentiam, unam *receptivam* tantùm, & non etiam *causativam*; alteram & *receptivã*, & *causativam*; priorem potentiam habet materia respectu solius animæ rationalis, habet enim potentiam naturalem recipiendi animam in se, sed non habet potentiam concurrendi in genere causæ materialis, ad tribuendum *esse* animæ: posteriorem habet respectu omnium aliarum formarum, tum essentialium, tum accidentalium: non solùm enim potest eas recipere in se, sed etiam concursu passivo cooperari cum agente, ad eas producendas.

3. Tertiò notandum est, illos Philosophos malè explicare eductionem formarum ex potentia materiæ, qui dicunt formam actu existere in materia, ante rei generationem, non tamen apparere, sed quasi sub confusione potentiæ eius latitare, per generationem verò manifestam fieri; ita ut illud *esse actuale*, quod priùs erat quasi absconditum, non incipiat simpliciter per generationem, sed per eam incipiat fieri manifestum, & sic è tenebris ac confusione materiæ, quasi in lucem educatur. Dico hanc explicationem eductionis malam esse, quia si forma existat actu in materia ante compositi generationem, ipsum compositum existit ante suam generationem, quod apertè absurdum est: ratio consequentiæ est, quia ex materia & forma actu existentibus,

existentibus, & unitis, resultat compositum, iisque positis necessariò ponitur compositum: ideoque si materia & forma existant unitæ, ante generationem compositi, ipsum compositum existit ante suam generationem. Dicet aliquis; si forma non existit in materia ante rerum generationem, non potest dici ex materia educi, seu extrahi; nihil enim potest educi, seu extrahi ex eo, in quo non est. Resp. Formam dici ex materia educi, non quòd ex materiæ substantiâ, sed quòd ex materiæ potentiâ causativâ educatur, seu extrahatur: quamvis enim forma ante generationem in ipsa materiæ substantia non existat, in eius tamen potentia vere & propriè existere dicitur, quatenus à materia est producibilis; nam esse in materiæ potentia causativa, nihil est aliud, nisi à materia tanquam à principio passivo posse produci.

4. Quartò notandum est, illos etiam toto cœlo errare, qui dicunt formas, ante generationem, secundùm *esse* inchoatum & imperfectum, h. e. secundùm gradus quosdam suæ entitatis, existere in materia; per generationem verò incipere esse in materia, secundùm *esse* completum, & consummatum. Dico huius sententiæ Patronos turpiter errare, quia inde sequitur formam substantialem variari, quoad gradus intensionis & remissionis, non minùs quàm accidentia; quia item absurdum est, in

unâ

unâ & eâdem materiâ actu existere omnes formas, quæ ex materiæ potentia educi possunt, sive sint totales, sive partiales; sic enim in unâ & eâdem re, simul essent penè infinitæ entitates substantiales re diversæ. Sed obiiciet aliquis; si forma ante rei generationem planè nihil sit; sequetur omnes formas *fieri ex nihilo*, & proinde creari. Resp: Formas omnes posse dici *fieri ex nihilo*, si *fieri ex nihilo* accipiatur pro *fieri ex nulla sui parte præexistente*, non verò si *fieri ex nihilo* accipiatur propriè, pro eo quod est *fieri ex nulla materia præexistente*, quo sensu idem valet, ac creari; fiunt enim formæ ex materia, h. e. fiunt materiâ concurrente in genere causæ subjectivæ, ad tribuendum ijs *esse*.

5. Quintò notandum est, eos etiam malè explicare eductionem formarum ex materiæ potentia, qui dicunt formam ideo ex materiæ potentia educi, quòd materia ante adventum formæ habeat potentiam ad eam recipiendam: Si enim hæc explicatio esset veritati consentaneâ, omnes formæ, nullâ exceptâ, essent ex materiæ potentia educibiles; idque quia materia habet potentiam ad quamlibet formam recipiendam, potentiam (inquam) vel naturalem, vel obedientialem. Potentia autem naturalis est ea, quæ educibilis est in actum vi alicujus agentis naturalis, ut potentia passiva ligni ad recipiendum calorem, dicitur naturalis, quia educi potest

est in actum vi naturalis agentis, ignis videlicet. Potentia materiæ obedientialis est, quæ in actum educi non potest vi agentis naturalis; sed vi alicujus agentis superioris, atque alterius ordinis, cui ea materia ita subdita est, & subjecta, ut necessariò ei obediat: talis est potentia ligni, vel lapidis ad formam statuę; non enim educitur in actū vi alicujus agentis naturalis, sed vi agentis per artem: talis etiam est potentia animæ ad recipienda dona supernaturalia, ut fidem, spem, charitatem; non enim ullâ vi naturali in actum educi potest, sed infinitâ vi & virtute creatoris.

6. His positis facile est explicare eductionem formarum ex materiæ potentia; cùm enim nihil possit educi ex aliquo, nisi illud quod priùs fuit in eo; manifestum est eas solas formas ex potentia causativa materiæ educi, quæ antequam existant, sunt in potentia causativa materiæ, i. e. producibiles sunt per concursum passivum materiæ; illæ enim formæ quamdiu actu non existunt, habent potentiam ad accipiendum *esse* à materia, tanquam à principio passivo, & receptivo; ideoque cùm actu existere incipiunt, vi activâ agentis, & passivâ materiæ, rectè dicuntur educi ex potentia *causativa* materiæ, quia non amplius sunt in potentia *causativâ* materiæ, i. e. non jam sunt à materia producibiles; quod enim semel productum & causatum est, non amplius est in potentia

ria causa, sed eductum est ex statu potentialitatis, in statum actualitatis. Forma igitur bruti verè dicitur educi ex potentia *causativa* materiæ seminis, quia ante generationem bruti, illa forma fuit in potentia causativa materiæ seminis, i. e. producibilis erat vi passivâ illius materiæ; jam verò per actionem generantis, illa forma producta est, & posita extra potentiam causativam materiæ, ita ut non amplius sit producibilis vi passivâ materiæ, nisi amittat eam existentiam, quam nunc habet. Contrà verò anima humana, licèt producatur in materia, non tamen ex ejus potentia causativa educitur, sed in materiam inducitur; idque quia nunquam fuit in materiæ potentia causativa, nec materia unquam habuit potentiam ad tribuendum esse animæ, per passivum suum concursum.

ART. III.

An anima rationalis sit ex tradice.

VErus hujus controversiæ status est, utrum anima rationalis educatur ex potentia materiæ seminis, vi seminalis & prolificæ virtutis, sicut animæ plantarum, & bellarum: an verò à DEO absque materiæ præexistentis concursu producatur, h. e. creetur, & corpori infundatur.

infundatur. Posterior sententia omnibus ferè modernis Philosophis, & Theologis arridet, & meritò; non enim memini me legisse ullum argumentum in contrarium, tanti ponderis, ut possit aliquem, vel mediocriter in hac controversia versatum, in eorum sententiam adducere, qui contendunt animas nostras à parentibus, per carnalem generationem proseminari, non verò à DEO creari, & infundi. Contrà verò, pro ea sententia, quæ asserit animas humanas à DEO immediatè creari, non solùm faciunt varia S. Scripturæ testimonia, sed etiam argumenta Philosophica principiis naturæ notis nitentia: ego autem, omissis argumentis ex S. Scriptura petitis, quia ea luculenter proponuntur à Theologis, præcipuè verò à clarissimo *D. Iunio*, *in explicatione* 1. *cap. Genes.* rationes quasdam afferam, partim ex Physica, partim ex Metaphysica depromptas.

2. Prima ratio est hæc: *Si anima est generabilis, est corruptibilis: at absurdum est posterius: Ergo & prius*: ratio majoris est hæc; illa forma, quæ ita dependet à materia, ut per concursum causæ materialis in generatione producatur, ita etiam dependet à materia, ut si ab ea separetur, quæ conferebat & conservabat ejus *esse*, necessario pereat. Ad hoc argumentum respondere solent Theologi, & Philosophi, qui sunt in contrariâ sententiâ, animas humanas

esse

esse ex se corruptibiles, ut probat illud argumentum, quia dependent à materiâ in *fieri* & *esse*, duraturas tamen esse in æternum, quia Deus statuit eas conservare. Quòd si quis eos roget, cur anima, in se spectata, sit corruptibilis: Respondent hanc esse rationem, quia si Deus cessaret ab actu quo conservat animas, illæ statim in nihilum redirent. Sed hæc responsio non placet, primò quia Theologi, & Philosophi, cùm dividunt substantias in æternas & caducas, non volunt aliquas substantias ideo esse æternas, quòd à conservativo Dei influxu non dependeant; sed quòd à nulla creaturâ, per actionem Physicam destrui possint: hoc autem modo non solùm Angeli, & Cœlum, sed etiam animæ rationales incorruptibiles dici possunt. Deinde illi qui ita respondent, non possunt negare animam humanam ita se habere, ut nullâ actione Physicâ, seu materiali destrui possit: unde ego infero, eam nullâ actione Physicâ, vel materiali, posse produci. Quænam enim est ratio, quòd nullâ actione Physicâ destrui possit? Nonne, quia est substantia spiritualis? At ob eandem etiam rationem, nullâ virtute materiali potest produci, idque quia, sicut repugnat spiritui actione Physicâ & materiali destrui, ita etiam repugnat spiritui actione Physicâ & materiali produci, generatio autem est actio Physica & materialis, tum quia fit in materia, tum quia fit per

virtutem

virtutem materialem; scilicet per virtutem seminalem.

3 Secunda ratio: *DEUS voluit animas humanas existere, extra corpora, post hominum mortem; voluit autem animas belluarum perire cum corporibus: Ergo dedit animæ rationali, naturam independentem à materiâ; ut ratione illius naturæ possit existere extra materiam corpoream*; unde infero animam quoad naturam suam esse independentem à materiâ corporeâ.

5 Tertiò *Ea sola forma educitur ex potentiâ causativâ materiæ, quæ sit materiâ passivè cõcurrente, ad tribuendũ ei esse: sed materia seminis non potest, concursu passivo, tribuere esse animæ: Ergo non educitur ex potentiâ materiæ, sed à DEO per creationem in materiam infunditur.* Propositio manifesta est ex præcedentibus: assumptio probatur; nulla virtus activa agit ultra suum genus, ut loquuntur; i. e. non potest agendo producere eam rem, quæ est excellentioris naturæ & superioris ordinis: sed anima excedit totum genus naturæ corporeæ, cùm sit substantia spiritualis: nulla igitur virtus corporea potest animam producere. Ad hoc argumentũ respondere solent, vim materialem in semine existentem per se non posse producere spiritualem substantiam animæ, posse tamen virtute spiritualis illius substantiæ, cujus est instrumentum, i. e. virtute animæ hominis generantis ele-

vari ultra suam speciem, ad producendum spiritum: quemadmodum phantasma, quod est sensibilis & materialis species, virtute animæ, cujus est instrumentum, species intelligibiles, h. e. spirituales rerum imagines intellectui patienti imprimit. Hoc effugium planè futile est, & nullius momenti; fieri enim nō potest, ut agens creatum operâ instrumenti purè materialis, aliquid immateriale producat: facultas autem prolifica in semine existens, purè materialis est; secùs tamen accidit, in productione specierum intelligibilium; anima enim utitur vi intellectûs agentis, ut principalis instrumenti, excitantis & elevantis phantasma, ad producendas illas species: quare universaliter verum est, virtutem materialem non posse esse aut principale, aut solitarium instrumentum, in productione spiritualis substantiæ, licèt esse possit instrumentum secundarium, in productione spiritualis qualitatis.

5 Quartò, *Illi qui sunt in oppositâ sententiâ, coguntur admittere conclusiones admodùm duras, & absurdas*; nam ut vitent vim talium argumentorum, coguntur admittere animam non esse substantiam spiritualem; item animam posse actione Physicâ destrui, nisi Deus eam speciali suo auxilio conservet ab interitu: quæ conclusiones admodùm derogāt dignitati, & excellentiæ animæ nostræ, & nobis auferunt occasionem

nem confutandi *Atheos*, argumentis petitis ab immortalitate animæ. Si enim anima est forma naturâ suâ dependens à corpore, ita ut extra corpus per se existere non valeat, quomodo persuadebimus iis, animam esse immortalem? derogant etiam hæ conclusiones sapientiæ divinæ; quippe asserere Deum voluisse animas existere extra corpora, & negasse iis naturam ad hoc idoneam, est dicere Deum non satis prudenter produxisse animam.

6 Quintò, *Quamvis dicamus animam à* Deo *creari, & in corpus infundi, & proinde parentem non tribuere filio suo animam, satis tamen commodè tueri possumus, hominem tam verè generare hominem, quàm leo leonem, & bos bovem: possumus item tueri naturalem & hereditariam corruptionem, quam* Peccatum Originale *vocant, à parentibus ad liberos propagari, & illius propagationis modum explicare:* nulla ergo necessitas nos cogit amplecti eam sententiam, quæ animæ naturæ repugnat, & ejus dignitati tantum detrahit.

ART. IV.

An & quomodo homo verè generare hominem dicatur.

PHiloſophi, & Theologi, qui dicunt animam non tràduci per ſemen, aut ex ſemine elici, variis modis diſſentiunt de generatione hominis, & actione in qua generatio hominis conſiſtit. Primò enim nonnulli, cùm iis hoc argumentum objicitur — *homo generans non tribuit filio animam, per quam eſt homo: Ergo homo non generat hominem.* Reſpondent hominem dici generare hominem, quia ſuppeditat materiam ex qua fit homo, id eſt, quia tribuit filio corpus hominis: verùm hæc reſponſio admodùm frigida eſt & indigna quæ ab ullo Philoſopho proferatur: primò enim ex ea ſequitur, hominẽ tantùm generare corpus hominis, non verò totum hominem; & hoc eſt ipſum, quod argumentum probat. Secundò, quia nemo Philoſophorum dixit, generationem ſubſtantialem eſſe productionem aut ſuppeditationem materiæ; ſi enim producere ſubſtantiam, eſt ſuppeditare materiam ad producendam ſubſtantiam; pari ratione, is qui ſuppeditat artifici materiam ad conficiendam ſtatuam, dicetur conficere ſtatuam, quod admodum

admodùm absurdum est. Tertiò, generare hominem, est tribuere ei *esse* homini, ut ex ipsis terminis patet: at *esse* hominis seu natura humana, neq; consistit in anima sola, neque in corpore solo, ut omnes fatentur: si enim natura humana in altero horum consisteret, per separationem animæ à corpore non destrueretur natura humana: consistit ergo natura humana, in unione corporis & animæ, i. e. consistit in eo, quòd homo verè constet animâ & corpore: si ergo generans non efficit, ut filius sit quid constans ex anima & corpore, sed tantùm efficit ipsum corpus, homo generans non verè dicetur tribuere homini genito *esse* hominis, atq; adeo non verè dicetur generare hominem.

2 Alii, cùm vident se non posse evitare vim hujus argumenti per priorem responsionem, aliam responsionem excogitârunt, sed penè tam invalidam ac est prior: dicunt enim hominem verè generare hominem, quia non solùm tribuit ei materiam, i. e. corpus; sed etiam præparat materiam ad recipiendam formam; atque adeo per virtutem prolificam, attingit conjunctionem animæ & corporis, per quam conjunctionem homo constituitur in *esse hominis*, & fit tale compositum Physicum: hi ergo non dicunt patrem conjungere animam filii cum corpore filii, per virtutem seminalem, (hoc enim tribuunt Deo qui animam infundit;) sed præparare materiam

feminis ad recipiendam formam humanam, quæ quidem præparationem, postquam completa fuerit, immediatè sequitur conjunctio animæ & corporis: hinc liquet, ex eorum sententia, actionem generandi nihil aliud esse, quàm præviam materiæ alterationem, & præparationem ad recipiendam formam: in hac sententia fuerunt penè omnes antiquiores Philosophi, etiam omnes penè Moderni, plerique etiam Pontificii Theologi; nam *Conimbricenses*, in explicatione *lib.* 1. *de ortu*, testantur seipsos olim amplexos fuisse hanc sententiam, quia fuit recepta apud omnes: verùm hæc sententia, ut dictum est, non magis satisfacit argumento, quàm prior. Primò, quia præparatio materiæ est mutatio in qualitate, atque adeo est alteratio. Generatio autem non est alteratio; sunt enim diversi specie motus, in hoc differentes, quòd altera terminetur ad qualitatem, altera ad substantiam: Ergo generatio non est mutatio, vel præparatio materiæ; neque generare, est præparare materiam. Secundò, generatio est una simplex mutatio, vel simplex motus, ut omnes fatentur: at illa præparatio non est posita in una mutatione, sed in variis alterationibus, quæ præcedunt introductionem formæ; nam aliquando dilatatur, aliquando consolidatur illa materia, aliquando humor augetur, aliquando minuitur, ita scilicet postulante naturâ formæ introducendæ: Ergo illa præparatio

præparatio non est generatio, sed aggregata seu multiplex mutatio, sive alteratio. Tertio, generare est tribuere *esse*; *esse* autem hominis consistit in eo, quòd constet ex anima & corpore: si ergo Deus copulet animam cum corpore, infundendo (ut dicunt Theologi,) Deus tribuit *esse* homini, non verò generans: solus enim ille qui copulat animam cum corpore, efficit ut homo constet ex anima & corpore. Deniq; homo in instanti gignitur, id est, in instanti fit homo: Ergo non gradatim; ideoque ejus productio, nō est mutatio aliqua successiva, sed instantanea.

3 Tertius modus respondendi est eorum, qui dicunt hominem generare hominem, neque quòd ei tribuat materiam, neq; quòd materiam præparet; sed quòd tribuat ei etiam formam, non quidem specificam, id est, animam rationalem, (hanc enim volunt tribui à solo Deo, qui eam creat, & unit cum corpore;) sed quòd ex potentia seminis educat animam vegetativam, & sensitivam: verum hæc sententia minimè omnium placet, quia manifestè ex ea sequitur, hominem non generare hominem, sed hoc vivens, & hoc animal: præterea (ut dicebam) *esse* hominis in eo consistit, quòd homo constet ex anima & corpore: Si ergo filius non debeat patri, quòd constet ex animâ rationali & corpore, non habet naturam hominis à patre sibi communicatam.

4 Rejectis his sententiis, nos cum doctissimis Philosophis, *Doct. Sct. Ruvio*, & professoribus *Academiæ Conimbricensis*, quartum dicendi modum amplectimur, asserentes hominem verè generare hominem, quamvis anima à Deo creetur; non quòd tribuat ei corpus solummodò, neq; quòd præparet corpus ad recipiendam animam, neque quòd in materia, aut ex materia corporea, efficiat animam vegitativam, aut sensitivam sui filii; sed quòd ab homine generante sit ipsa actio, quâ anima rationalis substantialiter corpori unitur, ac incipit informare, inhabitare, & implere totam materiam corporis; adeo ut ex nostra sententia, generatio hominis sit posita in illa actione, quâ, per virtutem prolificam, anima essentiali vinculo cum corpore copulatur.

ART. V.

Vtrum generatio posita sit in productione formæ, an verò in conjunctione formæ cum materia.

1 VT nostræ sententiæ veritas appareat, primò ostendam actionem generantis (loquendo in genere, de omni generatione) esse positam in conjunctione materiæ & formæ: secundò, nonnihil specialiùs dicam de illa actione

ne, quâ anima corpori unitur. quod ad prius attinet, generatio compositi non est productio materiæ, idque quia materia propriè dicta est ingenerabilis, & incorruptibilis, id est, à nullo potest fieri, nisi à creatore, si enim creatura aliqua produceret materiam primam, produceret eam ex nullâ materia præexistente, atq; adeo crearet eam; nulla autem creatura creat, cùm creatio requirat infinitam virtutem. Deinde cùm ex igne fit aer, aer generat alium aerem, mutando ignem in aerem, non autem per illam generationem producit materiam novi aeris, sed in materiam præexistentem introducit formam novi aeris.

2 Generatio substantialis, non est productio materiæ, ut jam ostensum est: at neq; est productio formæ, quod quidem certum est, & evidens apud eos, qui dicunt animas à DEO creari: at non minus evidenter etiam probari potest contra eos, qui dicunt animam esse ex traduce. Primò enim, natura hominis est in eo posita, quòd constet ex anima & corpore: at per actionem quâ anima unitur corpori, sive anima sit à DEO, sive à patre, homo fit compositum constans ex anima & corpore. Ergo per illam actionem, homo accipit naturam, vel *esse* hominis, & proinde per illam actionem producitur: quid enim est aliud, producere hominem, quàm efficere ut existat homo, seu Ens constans ex anima & corpore,

re. Secundò, nunquam potest compositum Physicum de novo produci, sive per generationem, sive per aliam mutationem, nisi ejus materia & forma de novo conjungãtur, & coëant in unum per se, ut evidens est: potest tamen compositum Physicum de novo produci, & reverà fieri, quâvis ejus forma non producatur de novo: Ergo efficere compositum Physicum, potiùs est materiam & formam conjungere, quàm formam producere: probatur assumptio; primò, ex resurrectione mortuorum in die judicii, tum enim homines de novo producentur, & de novo accipient *esse* hominis, per veram productionem substantialem, licèt non ordinariam, sed planè extraordinariam; at tum eorum anima non potest dici de novo produci, quia existebat semper postquam creata est, sed tantùm de novo uniri cum materia: Ergo productio compositi Physici, non est productio formæ, sed potiùs unitio formæ cum materia. Si quis tam impudens sit, ut neget in resurrectione mortuorum futuram veram productionem substantialem, contra eum utar hoc argumento; Producere substantiã corpoream, est tribuere *esse* substantiæ corporeæ: at tum DEUS hominibus mortuis, qui quamdiu mortui erant non habebant verum *esse* substantiæ naturalis, quia non constabant ex materia & forma unitis, verè & propriè dabit integrum & plenum *esse* corporis naturalis, efficiendo

do ut verè constent ex corpore & anima: Ergo DEUS per illam actionem verè producit corpora naturalia. Non negari quidem potest, illam actionem esse actionem longè diversam à generatione substantiali, & modo generandi ordinario; certum tamen est eam actionem esse veram productionem substantialem; quod probamus ex definitione productionis substantialis; quid enim aliud est producere substantiam, quâ conferre *esse* illi substantiæ, quæ ante illam actionem non habebat *esse* substantiale. Secundò probatur assumptio sic; DEUS potest creare animam infantis per aliquod tempus ante ejus generationem, & postea, in ipsâ generatione, illam animam cum corpore ejus conjungere: Ergo potest esse vera generatio substantialis absque productione formæ.

3 Quod ad posterius attinet: Theologi & Philosophi, qui sunt in nostrâ sententiâ *de origine animæ*, asserunt virtutem seminalem in bellulis duplicem habere operationem; scilicet eductionem formæ ex potentia materiæ, & unitionem ejusdem formæ cum composito; quas quidem actiones dicunt non realiter, sed ratione solâ diversas esse: idque quia per unam & eandem actionem re, educitur forma ex potentia materiæ, & unitur substantialiter cum materia. Contrà, asserunt virtutem seminalem, quæ in semine hominis existit, habere unam tantùm

tum actionem, scilicet unitionem formæ, i.e. animæ cum materia corporea; unam (inquam) actionem principalem, nam certum est, ab ea virtute proficisci varias actiones minùs principales, scil. præparationes materiæ corporeæ ad recipiendam animam: quare dicunt in productione hominis, esse duas actiones proficiscentes à diversis agentibus; scilicet creationem animæ, & unitionem ejusdem cum materia: creationem animæ aiunt esse operationem solius DEI, quod evidens est; unitionem verò animæ cum corpore, volunt esse actionem, non quidem solius hominis, DEus enim cooperatur cum homine in actione illa; sed hominis & DEI simul: & addunt, in hac unitione, & non in alia actione, positam esse generationem hominis: quod ex eo patet, quia suprà ostensum est, producere compositum neque esse producere materiam, neque producere formam, sed formam cum materia unire, & copulare: ex nostra ergo sententia, eodem instanti, quo DEus creat animam in corpore, homo generans per virtutem seminalem animam à DEo creatam cum corpore substantialiter unit, & connectit; adeo ut actio DEI terminetur ad animæ *esse simpliciter*; actio verò patris terminetur, non quidem ad animæ *esse simpliciter*, sed ad ejus *esse in corpore*, seu ad unionem animæ cum corpore.

4 Ad illud argumentum, *homo est homo per animam*;

animam; si ergo pater non tribuit filio animam, non tribuit ei esse hominem. Respondent, hominem esse hominem, neque per animam seorsim acceptam, neque per corpus, sed per integram naturam, sive per essentiam humanam; & aiunt patrem uniendo animam cum corpore, per virtutem seminalem, tribuere filio *conflare ex anima & corpore*; & proinde ei tribuere naturam & essentiam per quam est homo: patet autem unamquamque rem, esse talem rem non per alteram essentiæ partem, sed per totam essentiã, quia essentia est id, per quod Ens est Ens; atque adeo talis essentia est id, per quod res est talis res: illud autem quod dici solet, unamquamque rem esse talem rem per formam suam, ita concipiendum est, ut intelligamus unamquamq; rem esse talem rem per formam, non quidem tanquam adæquatam rationem (ratio enim adæquata cur res sit talis res, est quia habet talem essentiam) sed tanquam principalem partem essentiæ; si enim inter se conferamus partes essentiæ Physicæ, res quælibet est talis res per formam, potius quàm per materiam, interim si conferamus aut formam, aut materiam cum integra essentia, res quælibet est talis res potius per essentiam, quàm aut per materiam, aut formam.

5 Verùm, hìc oritur magna difficultas; si enim Deus infundat animam, (ut omnes Theologi loquuntur, qui sunt in hac sententia,) conjunctio

junctio animæ cum corpore potius tribuenda erit Deo, quàm homini generanti; quid enim aliud est animæ infusio in materiam corpoream, quàm conjunctio animæ cum materia? Respondent nonnulli, Deum dici infundere animam, non quòd per se solum copulet animam cum corpore; sed quòd per virtutem seminalem illud præstet, cujus ministerio utitur tanquam instrumento, non quidem necessario (ipse enim potest per se connectere animam & corpus) sed ordinario, quia scilicet ejus usus est ordinarius in omni animalium generatione. Alii probabiliùs respondent, DEVM dici infundere animam in corpus, non quòd substantialiter, sed quòd localiter conjungat animam & corpus: id est, quòd creet animam in corpore, & per ejus creationem in tali *ubi*, efficiat eam localiter præsentem corpori: dicunt enim, eodem instanti quo DEVS creat animam localiter præsentem corpori, eodem (inquam) instanti virtutem seminalem eas partes connectere, vinculo substantiali: docent autem localem præsentiam animæ, esse quid longè diversum ab ejus unione substantiali cum materia; quia Angelus assumpto corpore vestitus, est localiter præsens illi corpori, non verò substantialiter ei conjunctus, ut forma materiæ suæ.

ART.

ART. VI.

An precedens doctrina tollat peccati originalis *propagationem.*

QVI putant humanam animam à Deo immediate non creari, sed ex potentia seminis educi, objicere solent, nostram sententiam planè tollere *peccati originalis* propagationem, & nullum modum relinquere quo explicari possit istius peccati derivatio à parentibus ad liberos: ut igitur hoc cavillum ipso facto diluam, partes quasi integrantes istius peccati enumerabo, & quomodo singulæ propagentur docebo.

2 Partes peccati originalis sunt tres: Primò, participatio peccati primorum parentum, illud enim fuit commune peccatum totius generis humani. Secundò, carentia originalis justitiæ, id est, defectus donorum, tum intellectûs tum voluntatis, quibus *Adamus* & *Eva* ante lapsum ornati sunt. Tertiò, propensio vel inclinatio ad malum; non enim solùm caremus originali justitiâ, quæ nos ad bonum propensos faciebat, sed etiam eâ sublatâ successit contraria qualitas legi adversa, quæ nos ad omnem turpitudinem pronos reddit.

3. Prima pars peccati originalis eodem modo

modo propagatur à parentibus ad liberos, quo propagari ſolet generis ſplendor, item jus hæreditarium: nimirum neque per animam, neque per corpus, ſed per naturalem generationem; ſicut enim *Carolus* v. g. ideo hæres regni eſt, quia Regis filius eſt, & ideo filius Regis, quia à Rege genitus eſt: ſicut etiam *Carolus* ideo nobilis eſt, quia nobilium parentum proles eſt, & ideo proles, quia à nobilibus parentibus per naturalem generationem deſcendit: ita etiam *Ada* peccatum ideo eſt noſtrum, quia nos ejus filij & hæredes ſumus: i. e. quia per naturalem generationem deſcendimus ab *Adamo*. Hæc ſententia de propagatione primæ hujus partis peccati originalis, coincidit cum eorum ſententia, qui dicunt animam à DEO creatam, evadere corruptam & ream per hypoſtaticam ſuam unionem cum corpore, quia ex illa unione animæ & corporis, reſultat totus homo, qui eſt ſucceſſor *Adami*, atque adeo reus inobedientiæ *Adami*.

4. Hìc tria diligenter notanda ſunt: Primò, ea quæ jam dicta ſunt non intelligenda eſſe de quolibet ſucceſſore *Adami*, ſed de ſucceſſore per naturalem generationem genito, i. e. de eo, qui per ordinarium modum generandi, videlicet per concurſum maris & fœminæ, ab *Adamo* deſcendit; alioquì enim ſequetur Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM eſſe reum

um peccati *Adami*, quod abſurdum & impium dictu eſt. Secundò notetur, beatam Virginem neceſſariò eſſe ream peccati *Adami*; ſi enim illud ipſum propter quod nos rei ſumus peccati *Adami*, inveniatur in beata Virgine, ipſa non minùs eſt rea, quàm nos: at verum eſt prius, illa enim eodem modo deſcendit ab *Adamo*, quo nos: Ergo etiam verum eſt poſterius.

5. Tertiò notetur, ſolius primi hominis, non verò poſteriorum parentum peccata tranſire in eorum filios: cujus rei ratio præcipuè eſt hæc; primus homo juſtitiam accepit non ſibi tantùm, ſed toti etiam ejus poſteritati; ut ſi permaneret in juſtitia, eam ſimul cum natura in poſteros tranſmitteret; ſin eam peccando deſereret, cum eâdem natura peccatum quoque in omnem poſteritatem transfunderet. Cùm igitur nemo poſteriorum parentum ſimili lege ſit inſtitutus, patet illorum peccata, non magis quàm juſtitiam propagari in poſteros, ſed ſingularia, & (ut loquuntur) *perſonalia* tantùm eſſe.

6. Secundam partem peccati originalis, viz. carentiam originalis juſtitiæ, parentes in poſteros tranſmittunt eo modo quo parentes egeni, inglorij, & ignobiles ſuam egeſtatem & generis obſcuritatem in liberos transfundunt, viz. modo aliquo negativo, non poſitivo: ſicut enim ignobilium & paupetum filii, ideo ignobiles ſunt & pauperes, quia eorum parentes

istis bonis carent, & proinde ea liberis suis conferre nequeunt: ita etiam infans recens natus originali justitiâ caret, quia parentes ipsius justitiâ destituti sunt, & proinde eam proli suæ communicare nequeunt. Dicet aliquis; parentes fideles, per gratiam regenerationis, habent dona justitiæ & sanctitatis aliquatenus sibi restituta, cur non ergo ea dona in posteros transfundunt? Resp: quia nulli proximorum parentum, imò ne ipsi *Adæ*, postquam semel peccavit, concessum est, ut donum aliquod in posteros transmittat, hoc enim concessum est solis primis parentibus ante eorum lapsum.

7. Quod ad tertiam partem peccati originalis attinet, communis sententia est, eam eodem modo propagari & transmitti in liberos, quo lepra transmittitur à parentibus leprosis in eorum liberos; nimirum per semen à parentibus emissum: hoc autem sic declaratur; infectio, quæ est in semine leprosi, non est lepra vel morbus formaliter & actu, sed solùm virtualiter; nam est occulta quædam dispositio ad lepram: ita etiam infectio spiritualis, quæ est in semine, non est peccatum formaliter & actu, sed est occulta quædam dispositio ad peccatum; ex quo fit ut anima in corpore à DEO creata, veluti flos in loco fœtido, à prima sua origine ex corpore vitium contrahat habituale, atque culpabile; hujus sententiæ fundamentum est, mutua eaque naturalis

naturalis ſympathia, i. e. paſſionum & affectionum communicatio, inter corpus & animam, tanquam inter duas partes ſubſtantiales idem compoſitum naturale conſtituentes. Vnde fieri videmus, ut corpore malè affecto anima doleat, & viciſſim ex animæ hilaritate corpus recreetur; quare ſicut anima, ſi infunderetur corpori vulnerato, vel poſito in igne, mox in eo corpore doleret, ita dum infunditur corpori ad peccandum diſpoſito, habitualiter in eo quodammodo peccat.

ART. VII.

Solvuntur argumenta quæ afferri ſolent contra præcedentem doctrinam de propagatione nativæ corruptionis per ſemen parentum.

1. OBjicitur primò ſic; corpus non poteſt agere in ſpiritum, vitioſam aliquam qualitatem ei imprimendo: Ergo concupiſcentia, ſeu propenſio ad malum, à corpore ad animam non derivatur. Reſpondet ex *Auguſtino Pareus, lib:* 4. *de amiſſione gratiæ, cap.* 12. non omninò fieri naturaliter, ſed occulto DEI judicio, quòd anima à carne vitiata, ob culpam primorum parentum, vitium contrahat, h. e. licèt corpus in ſpiritum naturaliter agere ne-

queat, per occultam tamen juſtitiam divinæ legis illud fieri poſſe. 2. Alij reſpondent, id non fieri per actionem carnis in animam, ſed per quandam naturalem concomitantiã & communicationem, quæ eſt inter materiam & formam; ſicut enim anima corpori communicat ſuas affectiones, ut vitam, ſenſum, & alia huiuſmodi, ita etiam diſpoſitiones corporis communicantur animæ; nam anima infuſa corpori malè diſpoſito, fit ſtolida, ut videre eſt in naturaliter fatuis; ita ſentit *Eſthius Theol. Pont. lib.* 2. *ſent:* 31. *art.* 1.

2. Tertiò, *Hieron: Zanchius, de operibus* DEI, *parte* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. Reſpondet, animam ex coniunctione cum corpore, peccato inficì; non per Phyſicam actionem corporis in animam, ſed ex iuſtiſſima DEI ordinatione, qui ſic initio conſtituerat, ut ſicut ſi *Adam* non peccaſſet, tota illius iuſtitia in liberos propagaretur, ſic, illo peccante, tota naturæ corruptio, quæ eius inobedientiam eſt conſecuta, ab illo tanquam à capite in omnes homines flueret & derivaretur, idque per ſemen, tanquam per vehiculum quo iſta labes à patre ad prolem tranſfertur.

3. Quartò, *Alenſis*, & *Bonaventura*, *in* 2. *Sent.* dicunt, animam in corpore immundo vitiari, non quòd caro ſpiritum inficiat verâ & reali actione, ſed quòd caro deſtituta originali reſtitudine,

rectitudine, ac rebellis rationi effecta, animum deorſum trahat, ac per hoc obliquam & diſtortam efficiat. Hanc ſententiam explicans *Pareus*, dicit nos poſſe ſine ulla abſurditate aſſerere temperamentum corporis, licèt brutum ſit, ad mala pronum eſſe, & non aptum animæ ad bonas actiones organum: animam verò rectitudine & puritate originali orbatam, ſequi inclinationem & vitioſum temperamentum corporis: idem etiam innuit Clariſſ. *Feſtus Hommius*, in ſuo *Antibellarmino, diſput.* 58. *Theſ.* 5.

4. Secundò objicitur: Si DEUS animam puram in carcerem tam impurum detrudit, crudeliter ac injuſtè agit: at impium & blaſphemum eſt poſterius; Ergò & prius eſt abſurdum. Reſp. concedendo totum; nos enim non dicimus *Deum* immittere animam juſtam & puram, in corpus impurum: inde enim ſequitur, animas noſtras eſſe juſtas ante earum infuſionem & conjunctionem cum corporibus, quod poſtea refutabitur *art.* 8. inſtabit aliquis; DEUS infundit animam, ex ſe peccatum non habentem, corpori impuro & contagioſo: Ergò injuſtè agit: Reſp: negando conſequentiam; is enim agit injuſtè, qui illud agit cujus contrarium agere tenetur ex æquo & bono; ſed DEUS non tenetur animas filiorum *Adæ*, qui in *Adamo* peccaverunt, & ſic æternam mortem meriti ſunt, puris corporibus infundere, h. e. non te-

netur corpora noſtra, labe peccati fœdata, ante infuſionem animarum purgare; ſed contrà, tenetur ea non purgare, idque vi illius comminationis, *quo die comederis, moriendo morieris.*

5. Tertiò ob. cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati: at DEUS eſt cauſa unionis animæ cum corpore: Ergo eſt etiam cauſa illius peccati, quod anima ex conjunctione cum corpore contrahit; nam unio eſt cauſa illius peccati in anima. Reſpondet *Zanchius*, unionem animæ cum corpore non per ſe, ſed per accidens eſſe cauſam peccati, idque quia ſi *Adam* non peccaſſet, DEUS copulâſſet animas cum corporibus ſine ulla peccati conſecutione: quare ex accidente eſt, quòd nunc animæ labes eam conjunctionem conſequatur. 2. Reſpond. DEUM tantùm creare animas in corporibus, parentes verò per virtutem prolificam animas ſubſtantialiter cum corporibus conjungere; quare quòd animas habeamus in corporibus noſtris, eſt à DEO; quòd verò animas habeamus in corporibus impuris & contagioſis creatas, eſt à lapſu primorum parentum. In ſummâ, illa regula, *cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati*, intelligenda eſt de cauſis per ſe, non per accidens, DEUS enim eſt cauſa ſuæ legis, & lex divina eſt cauſa peccati per accidens, ut patet ex *cap. 7. ad Rom. à verſ. 8. ad 14.* nemo tamen inde concludere poteſt, DEUM eſſe peccati cauſam.

6. Quartò

6. Quartò ob. quod corpus non habet, eo non potest animam inficere: at peccatum, quod animæ est proprium, nimirùm ignorantia mentis & aversio voluntatis à bono, non inest corpori: Ergo corpus peccato animam inficere non potest. Resp. sicut semen parentis leprosi producit lepram in corporibus filiorum, licèt actu & formaliter in se non habeat lepram, sed occultam quandam dispositionem ad lepram, ita etiam caro potest inficere animam peccato, licèt actu & formaliter in se non habeat peccatum, sed tantùm dispositionem quandam ad peccatum. Resp. igitur ad propositionem; quod corpus in se habet nullo modo, h. e. neque formaliter, neque virtualiter, eo non potest inficere animam, potest tamen inficere animam eo quod in se habet virtualiter, & dispositivè.

7. Quintò ob. in *Adamo* vitium priùs fuit in anima, quàm in carne, & ab anima in carnem, non à carne ad animam transiit: Ergo eodem ordine in filiis *Adæ* vitium existit; anima enim, non corpus, est πρῶτον δεκτικὸν peccati. Respondet *Pareus*, alium fuisse ordinem in vitii operatione quæ à libero arbitrio cæpit, alium esse in vitii generatione quæ à carne incipit. Resp. onderi etiam potest eundem ordinem adhuc servari, & animam etiam nunc esse πρῶτον δεκτικὸν peccati, idque quia ignorantia, contumacia, & aversio à bono actu & formaliter primò

insunt animæ, deinde corpori; licèt dispositivè & virtualiter insint corpori priùs quàm animæ. Hic nobis se offert occasio reprehendendi crassam & absurdam eorum sententiam, qui dicunt peccatum originis actu & formaliter in semine inesse, ante adventum animæ. Primò enim habitus & privatio versantur circa idem subjectum: Ergo privatio non potest esse in aliquo subjecto, in quo habitus inesse nequit: at in semine non potest esse justitia originalis, quæ est habitus: ergo neque in eo existere potest peccatum originale, quod est ejus privatio. Secundò, si semen, actu & formaliter in se peccatum habet, varia sequentur absurda. Primò, semini datam esse legem, *lex enim*, inquit Paulus, *data est peccatoribus*: secundò, semen esse obnoxium æternæ damnationi, quod enim propriè peccatum in se habet, id damnari in æternum potest: tertiò, semen posse à CHRISTO redimi, salvari, pœnitentiam agere, & credere, quæ omnia tam absurda sunt, inquit *Keckermannus*, ut cogitari vix absurdius possit.

ART.

ART. VIII.

Proponuntur & ſolvuntur aliquot quæſtiones, de propagatione peccati originalis.

1. PRima quæſtio eſt, quomodo poſſit peccatum originale traduci & propagari, cùm anima, quæ illius ſubiectum eſt, non traducatur; non poteſt enim accidens traduci ſine ſubiecto. Reſpondet Doctor *Eſthius*, accidentia frequenter traduci, id eſt, affectione quâdam, vel infectione tranſire in alterum, non tranſeunte ſubiecto; nam hæreſes, errores, vitia ab uno in multos propagantur, non tranſeunte eorum ſubiecto, hoc eſt, animâ; quæ quidem reſponſio vera & ſolida eſt, ſi intelligatur de ea propagatione quâ accidens non idem numero, ſed idem ſpecie, tranſit & traducitur ab uno in aliud; cùm enim traducitur idem numero accidens, neceſſe eſt etiam ejus ſubjectum traduci, & tranſire: Sic, ut putant nonnulli Philoſophi, odore tranſeunte in manum hominis contrectantis, tranſeunt etiam ſubtiliores partes pomi, in quibus odor proximè exiſtit. Cùm igitur propagatio peccati, non ſit traductio accidentis unius numero, de ſubjecto in ſubjectum; ſed productio accidentis ſpecie eiuſdem, non neceſſe

cesse est eius subiectum, animam videlicet, traduci. Alias responsiones ad hoc argumentum, vide apud *Pareum, lib. 4. de amiss. gratiæ, cap. 12.*

2. Secunda quæstio est, quomodo anima, quæ à Deo producitur, & proinde ab *Adamo* non trahitur, nec ullo modo in lumbis *Adæ* fuit, quomodo (inquam) ea potest dici in *Adamo* peccasse, aut rea esse peccati ab *Adamo* admissi. Respondet *Zanchius*, & cum eo reliqui Orthodoxi Theologi, animam duobus modis posse considerari, videlicet vel in se, & respectu sui, vel quatenus est pars constitutiva illius hominis, qui est filius *Adæ*: priori modo considerata anima, non potest dici fuisse in lumbis *Adæ*, & per consequens non potest dici peccasse in lumbis *Adæ*; posteriori verò modo considerata, benè dici potest ab *Adamo* trahi, in lumbis eius fuisse, & peccasse; totus enim homo fuit in lumbis *Adæ*, idque quia ab *Adamo* descendit per naturalem generationem, & proinde totus homo est reus peccati ab *Adamo* admissi, totus autem homo ad pœnam obligari nequit, nisi & anima & corpus eius ad pœnam obligentur.

3. Obiicit hic *Balthasar Meisnerus*, acutus quidem Philosophus, sed superbus, & magnorum virorum insignis contemptor; totum hominem non posse dici ab *Adamo* trahi, nisi & corpus & anima ipsius ab *Adamo* trahantur, idq; quia

quia totus homo est ὁρατόν constans ex anima & corpore; egregium profectò, & tanto viro dignum argumentum! An non totus CHRISTUS Mariæ filius esse, & ex ea totus genitus natusque esse dicitur, licèt ex eius substantia Deitatem non acceperit? omnino: unde & contra *Nestorium* definitum fuit Synodo Ephesina, ut Maria θεοτόκος appellaretur.

4. Tertia quæstio est, utrum animæ à DEO creentur puræ an impuræ? quam quæstionem licèt alii censeant esse multis difficultatibus involutam, ego tamen puto eam facilè dissolvi & explicari posse. Respondeo igitur, duplicem esse sensum illius quæstionis; prior est, utrum animæ eo instanti quo creantur, sint puræ an impuræ? posterior est, utrum animæ à DEO creante accipiant puritatem seu justitiam, an verò impuritatem & corruptionem? Si priori modo concipiatur quæstio, Respondeo animas eo ipso instanti, quo creantur, esse impuras, simul enim creantur & uniuntur substantialiter cum corporibus contagiosis, ex quibus labem contrahunt; si posteriore modo concipiatur quæstio, Respondeo animas nostras à DEO creante neque accipere puritatem seu justitiam & sanctitatem, neque impuritatem & propensionem ad malum, sed tantùm essentiam spiritualem, & proprietates ab essentia dimanantes: dico DEUM non inspirare animæ venenum læthale concupiscentiæ

centiæ, quia mali author esse non vult: dico etiam eum non infundere animæ sanctitatem & justitiam, quia anima creatur ut sit pars constitutiva filii & successoris *Adami*, cui Deus spiritualia dona conferre non tenetur, Vide clarissimi *Iunij Comment. in Cap. 2. Genes.*

ART. IX.

Diluuntur leviora argumenta, quæ afferri solent contra creationem, & infusionem animæ.

OBjicitur primò, Deus sex primis diebus totum creationis opus absolvit, posteà verò requievit ab opere suo, *Gen. 2. Exod. 20.* non igitur novæ animę nunc creantur. Respond. Deum post sextum diem cessasse à creatione novarũ specierũ, non verò novorum individuorum: animæ autẽ, quas jam creat, non specie sed numero differunt ab anima *Adami*, quam primò creavit.

2. Secundò ob. *Genes. 5.* dicitur *Adam* genuisse filium ad imaginem suam, est autem filius imago & similitudo patris secundùm animam: Ergo *Adam* genuit filium secundùm animam. Respond. filium esse imaginem & similitudinem patris, non tam ratione animæ, quàm ratione totius suppositi, i. e. quatenus est quid constans ex anima & corpore: *Adam* ergo non solùm genuit filium similem patri, ut vult *Esthius*; sed etiam genuit id, in quo illa similitudo potissimùm

potiſſimùm conſiſtit, videlicet ipſam perſonam filii ſui, ex anima & corpore conflatam.

3. Tertiò ob. *Geneſ.* 46. dicuntur 70. animæ egreſſæ de femore *Jacobi*, quod non eſt aliud quàm ſeminis propagatione traduci. Reſpond. animas ſynecdochicè pro hominibus eſſe poſitas: addere etiam poſſumus, ipſas animas egreſſas fuiſſe ex femore *Iacobi*, non quòd è femore *Iacobi* traductæ ſint quoad earum *eſſe ſimpliciter*, ſed quòd ex eo deſcenderint quoad earum *exiſtentiam in corpore*, & unionem cum corpore; virtus enim ſeminis egreſſi ex femore *Iacobi*, effecit unionem corporis & animæ.

4. Quartò ob. ſi homo generando non producit animam rationalem, pejoris eſt conditionis quàm bruta & plantæ, quæ producunt animas ſibi proprias, videlicet vegetativam & ſenſitivam. Reſpondet *Eſthius*, hominem eſſe melioris conditionis etiam in officio generandi, quàm ſunt bruta aut plantæ, eo quòd vis ejus generativa pertingat ad unionem nobiliſſimæ formæ cum materia, ut ſuprà declaratum eſt. Adde quòd hoc ipſum ad magnam dignitatem pertinet, talem habere animam, ad quam producendam, propter ipſius excellentiam, nulla vis naturæ poſſit pertingere; quâ ratione nec Angelis, quorum natura excellentior eſt quàm hominum, vis ulla generandi competit.

5. Quintò ob. ſi homo non generat animam

mam filij, sed corpus, non generat totum hominem, sed alteram eius partem, imò ignobiliorē ejus partem. Resp: negando sequelam: *Maria* enim non genuit Deitatem CHRISTI, & tamen verè dicitur genuisse totum CHRISTUM: ignis etiam, cùm ex ligno generat alium ignem, non generat materiam illius ignis, sed tantùm formam, & tamen dicitur generare seu producere totum illum ignem; secundùm definitionem Aristotelis *generatio est mutatio totius* &c. Quare hìc distinguendum est inter *totum hominem* & *totum hominis*; pater enim generat totum filium, sed non totum filii, id est, omnes partes filii.

6. Sextò ob. si DEUS sigillatim creat animas omnium qui quomodocunq; gignuntur, cooperatur scortatoribus & adulteris: nam fornicariis & adulterinis conceptibus animas creat & largitur, quod videtur absurdum. Resp. DEUS cooperatur generationi naturali, quæ est per se bona, & opus naturæ; non autem vitio, quo fornicatores & adulteri contra legem DEI generationem perficiunt.

ART.

ART. X.

An possit reddi commodior aliqua, aut expeditior ratio traductionis concupiscentiæ, seu propensionis ad malum, quam diximus esse tertiam partem peccati originalis.

1 QVI communem sententiam, de infectione animæ à corpore ad peccandum dispositò, spernunt & rejiciunt, illi ad quatuor classes seu ordines vocari & reduci possunt. Primò enim, *Traducianis*, qui animarum creationem impugnant, firmissimè asseverant se ex suæ sententiæ fundamentis, posse reddere longè meliorem & tutiorem rationem traductionis peccati; quàm nos, qui animarum creationem defendimus: hanc eorum asseverationem (DEO adjuvante) falsam esse ostendam, Articulo ultimo hujus disputationis.

2 Secundò, Pontificii Theologi, qui cum *Bellarmino lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 15.* damnant sententiam *Lombardi, Henrici, Gregorii Arimin. & Iohannis Driedo*, dicentium concupiscentiam esse adventitiam & positivam quandam qualitatem animæ facultatibus superadditam; illi (inquam) qui hoc dogma rejiciunt, intrepidè asserunt se nullo negotio posse reddere

reddere rationē, cur in animâ infantis à *Deo* creatâ, sit concupiscentia seu propensio ad malum. Primò enim dicunt, hominē naturaliter constare ex carne & spiritu, & ideo partim cum bestiis, partim cum Angelis communicare naturam: & quidem ratione carnis & communionis cum bestiis, habere propensionem quandam ad bonum corporale & sensibile, in quod fertur per sensum & appetitum: ratione spiritûs & communionis cum Angelis, habere propensionem ad bonum spirituale & intelligibile, in quod fertur per intellectum & voluntatem. ex his autem diversis vel contrariis propensionibus, in uno eodemq; homine naturaliter seu per necessariam consecutionem ex principiis essentialibus, existere volunt pugnam quandam inter sensum & rationē, & ex eâ pugnâ ingentem benè agendi difficultatem, dum una propensio alteram impedit.

3 Dicunt secundò, divinam providentiam, initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo seu languori naturæ humanæ, qui ex conditione principiorum essentialium oriebatur, addidisse homini donum quoddam insigne, justitiam videlicet originalem, quâ veluti aureo quodam fræno appetitus sensitivus contineretur, & rationi subjiceretur.

4 Dicunt tertiò, primos parentes, & nos omnes in iis amisisse aurenm illud frænum originalis justitiæ, quo sensus rationi subjiciebatur;

& aiunt, ex remotione doni istius supernaturalis, statim in nobis ortam esse pugnam inter partem superiorem & inferiorem animæ, h.e. inter sensum et rationem: remoto enim fræno (inquiunt) quo continebatur appetitus ex se pronus ad concupiscendum contra ordinem rationis, per necessariam consecutionem in appetitu sensitivo sequitur propensio ad resistendum rectæ rationi, & appetendum objecta sensibus jucunda, quæ lege prohibentur. Hi igitur volunt concupiscentiam seu propensionem ad malum in infantibus non contrahi ex conjunctione animæ cum corporibus contagiosis, sed partim dimanare ex ipsâ animæ constitutione essentiali, quâ constituitur ex parte sensitivâ & parte rationali; partim ex carentia originalis justitiæ, quæ partem sensitivam parti intellectivæ subjiciebat.

5 Hæc doctrina meritò rejicitur à nostris Theologis; Primò, quia est fundamentum absurdi istius dogmatis *de concupiscentia in renatis*, quòd videlicet post baptismum non sit peccatum, sed morbus & languor quidam naturæ. Secundò, quia falsò asserit rebellionem appetitûs sensitivi contra rationem & ejus directionem, esse naturalem: nam illi qui hoc asserunt, in DEUM contumelioси sunt, dicentes DEUM illum sanctissimum, qui peccatum odit & execratur, ipsi naturæ humanæ in primâ creatione indidis-

se impetum tam rebellem & iniquum, videlicet propensionem ad peccandum, & turpia ac inhonesta objecta appetendum. Tertiò, quia (fatente *Bellarmino ipso, lib. 5. de amissione gratiæ*) vitiosa illa concupiscentia, non solùm est in appetitu sensitivo, qui rationi resistit, sed etiam in voluntate quæ prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates: quæram igitur ex *Bellarmino*, unde fit hæc pronitas voluntatis ad obsequendum desideriis carnis? Respondet *cap. 15.* eam *provenire ex remotione doni istius supernaturalis, quo* Deus *homini in primâ creatione ornavit*; sed hæc responsio absurda, & ipsius doctrinæ contraria est: nam *lib. de gratiâ primi hominis cap. 5.* dicit partem superiorem animæ esse ex se & suâ naturâ pronam & propensam ad bonum spirituale, & intelligibile; & per consequens eam naturaliter resistere desideriis carnis; sublato igitur dono supernaturali, voluntas adhuc remanebit prona ad resistendum desideriis carnis, si modò nullo dono naturali careat (quod cócedit ipse *Bellarm.*) ideoq; nondum satisfactum est meæ quæstioni, quâ quæro undenam sit quòd voluntas jam sit prona ad obsequendum desideriis carnis, & ad appetendum illa objecta quæ sensui jucunda sunt, & rationi displicent, cùm priùs contrario modo se habuerit idq; naturaliter. Hìc hæret *Bellarminus*, & æternùm hærebit, donec nostrā sententiam

sententiam *de concupiscentia in renatis* amplexus fuerit.

6 *Bellarminus* ad secundam rationem à nobis jam allatam respondens *lib. de gratia primi hominis cap. 7. concupiscentia* (inquit) *carnis fuit homini in primo statu naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectus & quasi morbus quidam naturæ ex materiæ conditione consequens. Quare rectissimè dicitur concupiscentiam non esse ex DEO; odio, non amore dignam, malam, naturæq; contrariam, propter duas causas; primùm quia non ex intentione autoris naturæ, sed præter ejus intentionem in homine exstitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset. Deinde quia DEVS illam sustulerat, & ex ipsius hominis culpa locum in nobis habet.*

7 Hæc doctrina *Bellarmini* nimis crassa & absurda est: Primò, quia dicit hanc rebellionem carnis contra spiritum ex naturæ principiis dimanare, & tamen esse naturæ contrariam; quod manifestam contradictionem implicat: non enim potest fieri ut aliquid ab ipsâ naturâ profluat, & tamen naturæ contrarietur; nisi quis dicere velit naturam esse sibi contrariam, & inimicam. Secundò, quia dicit hanc rebellionem ab ipsâ naturâ dimanare, & tamen præter DEI intentionem evenire; si enim ex intentione DEI ipsæ rerum naturæ existunt, proculdubiò rerum proprietates, & ea omnia quæ à naturâ rerum

necessariò dimanant, non præter, sed secundùm DEI intentionem eveniunt; is enim qui intendit naturam, intendit etiam ea quæ naturam cõsequuntur. Tertiò, quia quicunque producit naturam, producit ex consequente ea quæ naturam consequuntur: at DEUS producit naturam hominis; Ergo producit etiam rebellem hunc impetum, qui naturam eius consequitur: hoc autem absurdum est; quia inde sequitur DEUM producere aliquid suæ naturæ contrarium; natura enim DEI sicut est ipsa bonitas, ita est ipsa propensio ad bonum, & proinde contrariatur propensioni ad malum. Quartò, quia dicere rebellionem carnis contra spiritum esse à naturâ, & tamen non esse à DEO qui fons est & causa naturæ, manifestam contradictionem implicat. Quintò, donum illud supernaturale iustitiæ, ex sententiâ *Bellarmini*, non sustulit naturalem propensionem appetitûs sensitivi ad concupiscendum contra ordinem rationis, sic enim ipsam naturam appetitûs sensitivi evertisset; sed tantùm eum cohibuit ne actu resisteret rationi, & aliquid appeteret contra rationis directionẽ: Ergo *Adamus* in statu integritatis habuit in appetitu suo propensionem ad malum, quamvis nondum expertus esset actus & exercitia istius propensionis, & per consequens originali peccato inquinatus fuit; quid enim aliud est peccatum originale, quàm propensio ad malum?

ART.

ART. XI.

Considerantur duæ aliæ sententiæ de traductione peccati.

1 SEquuntur in hoc articulo considerandæ tertia & quarta classis, eorum qui traductionem peccati per semen parentum damnant & reiiciunt: ad tertiam classem eos refero, qui cum *Anselmo, in lib. de conceptu Virginali. & S. Thoma, in 1. secundæ quæst. 81. art. 1. & quæst. 4. de malo, art. 1.* dicunt ad traductionem peccati nihil aliud requiri, nisi ut homo per veram generationem ab Adamo descendat. Hoc enim ipso quòd aliquis in lumbis Adæ fuit cùm is præceptum in Paradiso transgrederetur, in illo eius peccato communicavit. Hæc sententia reiicienda est, quia descensus noster ab Adamo per naturalem generationem est quidem causa cur nos rei sumus peccati ab Adamo commissi: non verò potest esse causa nostræ cæcitatis, ignorantiæ, & propensionis ad malum; & proinde hæc opinio in eo peccat, quòd secundùm eam explicari possit traductio primæ partis peccati originalis, non verò secundæ & tertiæ partis.

2 Ad quartam classem eos refero, qui nobiscum consentiunt in explicanda traductione pri-

mæ & ſecundæ partis peccati originalis, diſſentiunt verò in explicanda traductione tertiæ partis, dicentes eam propagari & traduci à parentibus ad liberos, non per ſe, ſed per ſecundam partem; h. e. per carentiam originalis juſtitiæ, cum quâ neceſſariò connexa & conjuncta eſt: ſi quis igitur eos roget; undenam ſit quòd infans recèns natus, ſit reus peccati ab Adamo commiſſi? Reſpondebunt, quia eſt filius Adami, h. e. quia ab eo per naturalem generationem deſcendit. Item ſi roget, unde ſit quòd infans iſte originali juſtitiâ caret? Reſpondebunt; quia parentes ejus non poterant illi juſtitiam communicare, ipſi enim eâ carebant. Denique ſi roget; unde ſit quòd infans iſte ad malum pronus & propenſus ſit? Reſpondebunt, quia originali juſtitiâ caret; quicunque enim originali juſtitiâ caret, is neceſſariò ad malum propenſus eſt: & proinde propenſio ad malum propagari videtur per concomitantiam quandam, qua comitatur & conſequitur carentiam originalis juſtitiæ.

3 Doctiſſimus & nunquam ſatis laudatus *Petrus Molinæus*, hanc ſententiam egregiè explicat, & defendit, in *Anat. Arminianiſmi, cap.* 10, & ibidem rationem reddit, cur propenſio voluntatis & appetitûs ſenſitivi ad objecta illicita, quæ ſenſibus jucunda ſunt, neceſſariò conſequatur carentiâ originalis juſtitiæ. Quia autem inſigne illud opus *Molinæi* in omnium manibus

non

non est; ego per aliquot fundamenta seu assertiones proponam summam eorum, quæ ab illo sub finem *cap.* 10. proposita sunt, idque in eorum gratiam qui nondum *Molinæum* legerunt.

4 Prima assertio: *Intellectus hominis originali justitiâ destituti, & nondum per verbi prædicationem vocati, neq; cognoscit, neq; cognoscere potest, durante eo statu, bona spiritualia & supernaturalia.* Hæc assertio probatione non eget, nam ut docet *Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio, cap.* 1. convenit inter omnes Theologos, sive sint Pontificii, sive Evangelici, ista mysteria fidei sine divinâ revelatione cognosci non posse.

5 Secunda assert. *Voluntas hominis originali justitiâ destituti, & nondum vocati per verbi prædicationem, ad ea sola bona propensa est, quæ iste homo cognita habet, h. e. ad bona temporalia & terrena.* Cujus rei ratio est, quia appetitio voluntatis præsupponit cognitionem intellectûs; ideoque voluntas nihil potest appetere, nisi quod ratio cognoscit.

6 Tertia assert. *Voluntas talium hominum propensa est ad bona naturalia & terrena, tanquã ad præcipua bona, & maximè expetibilia*: idque quia tales homines non cognoscunt bonum illud quod revera est perfectissimum; & ob id alia bona, quasi essent perfectissima, summo amore prosequuntur.

7 Quarta assert. *Quamvis appetitio bonorum temporalium per se mala non sit, ex accidente tamen fit mala, quatenus ista bona appetuntur tanquam præcipua & maximè expetibilia; & proinde propensio ad ea sic appetenda, verè appellari potest propensio ad malum.* Hinc patet, propensionem ad malum necessariò consequi & comitari illam luminis supernaturalis carentiam, quæ est in omnibus qui ab Adamo descendunt per veram generationem.

8 Hanc sententiam quondam amplexus sum: nunc verò eam rejicere cogor, idque propter graves & efficaces rationes, quæ afferri possunt in contrarium. Primò enim, concupiscentia seu propensio ad malum est quid reale & positivum, ut docet ipse *Molinæus cap. 8. istius operis*: Ergo habet realem & positivam causam: ratio sequelæ est, quia privatio, aut non Ens, qualis est carentia justitiæ, non potest producere aliquod Ens reale; nam Ens reale ad suam productionem requirit realem influxum & operationem alicujus causæ: at non Ens, sicut non habet reale *esse*, ita non potest habere realem operationem. Dicet aliquis; cæcitas, quæ est privatio, potest esse causa lapsûs, & privatio luminis potest esse causa aberrationis à viâ; lapsus autem & aberratio à viâ sunt entia realia. Resp. lapsus & aberratio à viâ duo includunt, videlicet positivam entitatem talium motuum, & superad-

ditam inconvenientiam, seu defectum: inconvenientia illa, quæ est privativum quid, privativam causam habere potest; at positiva entitas istorum motuum est à positivâ causâ; nam positiva entitas lapsûs est partim ab internâ gravitate corporis, partim ab externo offendiculo: itē positiva entitas aberrationis est à locomotivâ facultate, tanquam à causa.

9 Secundò, ex hac sententia sequitur, veram causam vitiosæ illius propensionis & inclinationis, quæ est in voluntate, esse cæcitatem & ignorantiam mentis: at hoc est falsum, & quotidianæ experientiæ contrarium: idque primò, quia multi impii seu non renati, per naturales demōstrationes evidenter sciunt DEUM esse summum bonum, & poinde summo amore prosequendum; & nihilominus in voluntate habent propensionem ad prosequendum bona temporalia & terrena summo amore, posthabito supremo & perfectissimo bono: Ergo causa illius propensionis non est ignorantia mentis. Secundò, multi impii nôrunt quid sit honestum, quid inhonestum; & tamen in voluntate habent propensionem ad ea agenda, quæ inhonesta sunt & naturali rationi contraria: Ergo ignorantia non est causa illius propensionis.

10 Tertiò, concupiscentia seu propensio ad malum, non solùm est pronitas ad nimium amorem rerum terrenarum, orta ex ignorantiâ rerū cœlestium

cœlestium & supernaturalium (ut statuit hæc sententia;) sed etiam est pronitas quædam ad contemnenda & negligenda bona illa cœlestia, quæ nobis patefacta & revelata sunt, h.e. quorũ cognitionem ex verbi auditu acquisivimus; item est propensio ad ea agenda, quorum turpitudinem ex DEI verbo cognitam & perspectam habemus. Vnde *Paulus* de seipso conqueritur, *cap.7.Rom:vers.* 22. & 23. *Delector* (inquit) *lege* DEI, *quod ad interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.*

11 Quartò, si concupiscentia carnis nihil aliud sit nisi propensio ad inordinatum amorem rerum terrenarum, orta ex ignorantiâ rerum cœlestium, ingens sequetur absurdum, videlicet concupiscentiam non esse in renatis, qui rerum cœlestium cognitione imbuti sunt: illi enim qui certò sciunt cœlestia & supernaturalia illa dona infinitis gradibus excellere & præferenda esse terrenis & temporalibus bonis, non possunt ex ignorantiâ rerum cœlestium inordinato amore prosequi bona terrena & caduca.

ART.

ART. XII.

Ostenditur, eos qui animarum creationem impugnant, multùm inter se dissentire; & confutantur tres primæ eorum sententiæ de origine animæ.

1 STatueram apud me, in hac Exercitatione contra eos solummodò disputare, qui putant animas humanas ex materiæ potentia educi. Verùm quia videbam multos, eosque doctissimos viros, animarum traductionem tueri, & nihilominus seriò damnare & rejicere dogma illud de eductione animæ rationalis ex potentiâ materiæ, ideo operæ pretium me facturum sentiebam, si proponerem, & sigillatim confutarem omnes sententias, quas memini me legisse aut audivisse de traductione animarum.

2 Prima sententia est *Iacobi Martini*, qui in *lib. 3. Miscellanearum quæstionum, disput. 7.* dicit animam filii esse ab anima patris per traducem, modo tamen imperscrutabili & nobis incognito. Hic modus recedendi à communi sententia facilis est, sed inhonestus, & si quid judico, tanti viri acumine indignus: verùm ne illi, qui his latebris se occultant, securè delitescant, contra eos utar unico argumento, sed nisi

me

me animus fallit, valido & perspicuo: illud autem sic proponi potest; *Pater neq; producit animam filii ex aliqua re præexistente, neq; producit eam ex nullâ re præexistente, hoc enim est* creare: *Ergo nullo modo eam producit.* Consequentia hujus argumenti à nullo negari potest, quia nititur communi illo principio, *de qualibet re verum est affirmare vel negare.* Antecedens probatur hac ratione; *Pater neq; producit animam filii ex materiâ corporea seminis, neq; ex spirituali substantiâ animæ suæ*, ut mox probabitur: *Ergo non producit eam ex aliqua re præexistente:* item non creat eam, quia *creare* est solius DEI proprium, & proinde non producit eam ex nulla re præexistente.

3 Secunda sententia est eorum, qui dicunt animam educi ex potentia seminis; id est, volunt animam, primò cùm semen emittitur, non actu esse in semine, sed potentiâ duntaxat; quando verò semen nonnihil elaboratum est, & membra corporis quodammodo sunt delineata, tum demùm per δύναμιν πλαστικὴν in semine hærentē, animam è potentia seminis educi, excitari, & accendi, ita ut actu nunc vivere & corpus suum informare incipiat.

4 Hæc sententia à me suprà confutata est, & à *Balthasare Meisnero*, qui traductionem animarum acerrimè propugnat, non immeritò rejicitur, *sect.* 3. *Philosophiæ suæ, cap.* 6. *quæst:* 1.

Argumenta

Argumenta ejus hæc ſunt: 1. accidens, videlicet potentia πλαστικὴ, non poteſt producere tam nobilem & excellentem ſubſtantiam. 2. δυνάμις πλαστικὴ eſt animæ facultas: Ergo non eſt in ſemine ante adventum animæ. 3. formarum materialium proprium eſt educi è potentiâ materiæ; anima autem eſt forma ſpiritualis. Vide cætera apud ipſum *Meiſnerum*, loco citato.

4 Tertia ſententia eſt eorum, qui aſſerunt parentem ſimul cum ſemine emittere ſuæ animæ particulam, & proinde ſemen primò cùm emittitur eſſe actu animatum; hi igitur volunt animam filii eſſe ab anima patris, per ejus diviſionem & quaſi imminutionem. Hunc modum tuendi animarum traducem, non ſatis tutum judicat *Meiſnerus*, & meritò; quia ex eo ſequitur animam diviſibilem, & proinde materialem & corruptibilem eſſe; quia item inde ſequitur formam poſſe migrare de una materia in aliam, imò de uno ſuppoſito in aliud; nam ſecundùm hanc ſententiam, verum eſt dicere totam animam filii fuiſſe quondam in corpore patris, & corpus ejus informaſſe.

5 Vnde Sereniſſimus noſter Princeps IACOBVS BRITANNIAE REX, doctè admodùm & acutè colligebat, dum hìc ANDREAPOLI eſſet, animam filii eſſe ream omnium peccatorum quæ à patre commiſſa ſunt ante ejus emiſſionem & transfuſionem, nam anima

nima filii ante transfusionem fuit in patre, & in eo peccavit, *anima autem quæ peccavit, ipsa morietur, Ezechielis* 18. *vers.* 4. *& Ieremiæ* 31. *vers.* 30.

ART. XIII.

Refellitur quarta sententia, quæ est Balthasaris Meisneri.

1 QVarta sententia, quam amplectitur *Balthasar Meisnerus*, in hoc convenit cum præcedente, quod statuat animam non è potentia seminis educi, sed à parente in prolem traduci, & unâ cum semine in matricem infundi; ac proinde semen quamprimùm emittitur, esse actu animatum: differt tamen ab ea, quatenus asserit animam illam in semine existentem non fieri ex anima patris per decisionem & partitionem animæ paternæ, sed ab ea generari & produci de novo. Hanc sententiam explicans *Meisnerus pag.* 924. sic ait, *quamprimùm parens semen transfundit in uterum genetricis, tunc unà cum semine transmittit animam, non quidem suam aut suæ partem, sed suæ similem:* & p. sequente, *Sicut lumen se multiplicat, h. e. aliud lumen immediatè producit in materiâ idoneâ, idq;* (ut supra monuit) *non per sui partitionem, nec per localem*

ealem sui in alteram facem transmissionem, sed per novi luminis accensionem; ita etiam anima nostræ in semine ad generationem hominis dispositò sese multiplicant, hoc est, aliam sibi in specie similem animam immediatè, non interveniente aliquo instrumento corporeo, producunt.

2 Hæc sententia facillimè confutatur, nam ex ea manifestè sequitur animam filii creari ab anima patris; quod ingens absurdum & incommodum est: ut autem illud evidenter demonstretur, fundamenti loco tenendum est primò, creationem esse productionem ex nullo subjecto præexistente. Secundò tenendum est, quatuor modis aliquid dici fieri ex aliquo, 1. *Terminativè*, quomodo dicimus hominem fieri ex non homine, album ex non albo. 2. Fit aliquid ex aliquo *decisivè*, seu per decisionem & detractionem, quomodo dicimus exiguum clavum fieri ex ingenti massa ferri, & exiguum annulum ex ingenti massa auri. 3. Fit aliquid ex aliquo *subjectivè*, illud videlicet quod ex alicujus subjecti potentia educitur, quomodo dicimus omnes formas materiales fieri & educi ex potentia materiæ. 4. Fit aliquid ex aliquo *constitutivè*, quomodo dicimus omnia corpora naturalia fieri ex materia & forma.

3 His positis, sic probatur animam patris creare animam filii ex *Meisneri* sententia: Quod producit aliquid ex nihilo, illud creat: at anima patris

patris producit animam filii ex nihilo, ex *Meisneri* sententia: Ergo creat, & proinde infinitam virtutem habet; nam producere ex nihilo seu creare, infinitam virtutem arguit: propositio major est perspicua, nam nititur definitione creationis: minor sic probatur; Si anima patris producit animam filii ex aliqua re præexistente, vel producit eam ex sua substantia, vel ex materia seminis, at nullo modo eam producit ex materia seminis, ut fatetur ipse *Meisnerus*; quod etiam probatur hac ratione, anima non fit ex materia seminis *terminativè*, h. e, materia seminis non est terminus à quo illius mutationis quâ anima producitur, nam terminus à quo alicujus mutationis, adveniente termino ad quem, perit, sed materia seminis, adveniente animâ, non perit, sed animam in se recipit. Secundò, anima non fit ex materia seminis *decisivè*, quia sic esset pars materiæ, quod nimis absurdum est. Tertiò, non fit ex materia seminis *subjectivè* seu eductivè, sic enim esset forma materialis, ut ipse *Meisnerus* fatetur. Denique non fit ex ea *constitutivè*, sic enim esset substantia corporea.

4 Nullo etiam modo producitur anima filii ex animâ patris; nam primò non producitur ex anima patris *terminativè*, quia terminus à quo perit producto termino ad quem; anima autem patris non perit productâ animâ filii. Secundò, non fit ex eâ *decisivè*, seu per divisionem & partitionem;

ctionem; ut ipse *Meisnerus* fatetur. Tertiò, non fit ex ea *subjectivè*, h. e. non educitur ex ejus potentia, quia quod educitur ex alicujus subjecti potentia, illud in eo subjecto recipitur, & in eo existit: sed nemo dixerit animam filii existere in anima patris, tanquam in subiecto. Quartò, anima patris non est pars constitutiva animæ filii: ergo anima filij non fit ex eâ *constitutivè*.

5. Quod autem ad illam similitudinem à lumine petitam attinet: tenendum est, eam ineptam esse, & nullo modo pro eius sententia facere; nam lumen educitur de potentia materiæ, ut omnes fatentur: unde *Fonseca*, *l.* 5. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 1. *Nemo* (inquit) *dubitat lumen educi de potentiâ aëris*; & certè cùm faci lucenti admovetur fax alia, manifestum est ex potentia materiæ istius facis admotæ, educi flammam & ipsius lucem. Quare secundum argumentum contra *Meisnerum* sit hoc: si anima filii eo modo producitur ab anima patris, quo lumen à lumine, anima patris educit animam filii ex materiæ potentia: at posterius est absurdum, fatente *Meisnero*: Ergo & prius: probatur autem lumen educi ex potentia materiæ; quia illæ formæ educuntur ex potentia materiæ, quæ à materia pendent quoad *esse* & *fieri*, ut patet ex *articulo* 1. huius disputationis: at lumen est tale, quia neque potest *fieri*, neque *esse*, sine concursu passivo materiæ lumen recipientis. Va-

leat igitur illa formarum multiplicatio, ab eductione earundem desumpta, nam est figmentum cranii alicuius cerebri, & nullâ ratione nititur.

6. Tertiò: si spiritualis substantia animæ quâ talis est, h.e. quâ spiritualis & rationalis est, habeat virtutem procreativam similium, sequetur facultatem procreatricem non esse propriam facultatem animæ vegetativæ, quod est contra omnium Philosophorum doctrinam: ratio est, quia facultates animæ vegetativæ non conveniunt animæ rationali, quâ talis est, sed quatenus est vegetativa: sed hæc facultas procreativa similium animarum absque eductione ex potentiâ materiæ, competit animæ rationali per se, & non quatenus est vegetativa.

7. Quartò: in generatione uterque Parens emittit semen, ut docent non solùm Scholastici Theologi complures, *lib.* 3. *Sent. Dist.* 4. ut *Scotus, Bonaventura, Maior, Ockamus, Lichetus, Gabriel*; sed etiam Medici multis manifestis indiciis ab Anatomicâ experientiâ ductis convincunt, quæ hoc loco in medium afferre non possum: ea tamen scriptis mandârunt *Galenus lib.* 2. *de semine, cap.* 4. *Fernelius lib.* 7. *Physiol. cap.* 6. *Levin. Lemn. lib.* 1. *cap.* 6. *de occultis naturæ miraculis. Vesalius lib.* 5. *de fabrica corporis, cap.* 15. *Laurentius Anat. lib.* 8. *quæst.* 5. & multi alii. Hoc igitur posito, sic argumentor; Semen utriusque parentis vel est animatum, vel alterum,

alterum, videlicet semen matris est inanimatum: si utrumque est animatum, vel dicendum erit filium duas animas rationales habere, vel particulam animæ à patre & particulam animæ à matre conferri: prius est absurdum, quia tollit unitatem hominis, ipso *Meisnero* fatente: posterius etiam est absurdum, quia eo posito concidit animæ indivisibilitas, adeoque immaterialitas. Si semen matris sit inanimatum, h. e. si mater non conferat animam filio, tum per consequentiam ipsius *Meisneri*, *pag.* 908. mater non est mater totius filii, sed tantum corporis: item non gignit hominem, sed partem hominis. Hoc argumentum revera & in se non est validum, ut patet ex suprà dictis, est tamen *ad hominem*, ut loquuntur; quia nititur ipsius *Meisneri* consequentiâ.

8. Quintò, si quis à *Meisnero* exquirat, quid fiat cum isto semine quod in uterum transmittitur, ex quo tamen homo non generatur; an & illud animatum sit. Negativè respondet. Causam si quæras: dicit id fieri, vel quia semen non erat per omnia aptè dispositum ad generationem; vel quia singularis est pœna à DEO, naturæ cursum miraculosè inhibente, inflicta: dico *miraculosè*; quia sicut miraculum esset, si faci lucenti fax alia, materiam idoneam & bene dispositam habens, admoveretur, & flammam non onciperet; sic etiam miraculum est, si vera sit

Meisneri sententia, cùm à parente semen sufficienter dispositum emittitur sine anima, idque quia anima, per naturam, sui est multiplicativa in materiâ sufficienter disposita. Hæc responsio illius sententiæ, quam defendit *Meisnerus*, infirmitatem arguit: absonum enim & absurdum est, dicere toties verum & propriè dictum miraculum fieri, quoties pater semen sufficienter dispositum emittit, & illam emissionem animatio, & proinde generatio non consequitur.

9. Sextò, omne rationale est homo: at semen, si actu est animatum animâ rationali, actu est rationale: Ergo actu est homo, nam actu habet formam hominis: hinc autem varia sequuntur absurda: 1. patrem in uterum genetricis non tantùm semen, sed hominem transfundere. 2. hominem & semen hominis specie non differre. 3. veras esse has propositiones, *aliquod semen est homo*, & per conversionem, *aliquis homo est semen*. 4. generationem hominis fieri sine interitu seminis; forma enim seminis, i.e. anima, manet.

ART.

ART. XIV.

Confutatur quinta sententia, quæ est Timothei Brighti *Cantabrigiensis.*

EXtremam manum huic disputationi admovebam, cùm acutissimas & politissimas animadversiones *Timothei Brighti* Cantabrigiensis in *Scribonii* Physicam, evolvens, incidi in locum eum, quo asserit animam patris procreare animã filii ex femine quodam spirituali, & incorporeo. Verba eius hæc sunt: *Quibus respondemus; nec totum, nec partẽ animi parentum, traduci; neq; accidens aliquod animi rudimentum esse. Quid ergo? Sanè substantiã quandam ab anima natam, nec totam ipsam nec partem, tanquam animæ immortale semen, prolis animæ futuræ principium: & ut semen corporeum de parentũ corporibus decisum, nec corpus ipsũ, nec corporis aliquod membrum existit; ita anima, per semen animæ fœcundum, non per animam, aut animæ partem aliquam traducitur in prolẽ:* & paulò post, *Ergò tenemus, animam non integram & absolutam, parentibus referendam acceptam, sed seminale quid, ab anima, aquè atque à corpore exclusum, & tandem verbi illius virtute* (sc. fœcunditatis benedictione) *in animam rationalem, & immortalem, proditurum.*

2. Hanc ſententiam clariſſimi & doctiſſimi *Timothei* probare non potui; quia ſemen illud animæ vel eſt quid corporeum, vel eſt ſpiritualis ſubſtantia: ſi eſt quid corporeum, ex eo ſpiritualis ſubſtantia fieri non poteſt, ut ipſe *Brightus* fateri videtur, cùm opponit ſemen animæ corporeo ſemini: ſi eſt ſpiritualis ſubſtantia, vel eſt anima partialis, & incompleta; vel eſt ſubſtantia quædam ſpecie & eſſentialiter diſtincta ab animâ: non eſt anima imperfecta, ut ipſe *Brightus* fatetur, cùm dicit animam traduci à parente in prolem, neque per animam, neque per partem animæ, ſed per ſemen quoddam ab anima excluſum: at neque eſt ſubſtantia ſpiritualis ſpecie & eſſentialiter diſtincta ab anima; ut patebit ex ſequentibus rationibus.

3. Primò, ſi datur talis ſpiritualis ſubſtantia ab animâ diſtincta, dabitur aliquis ſpiritus creatus, qui neque eſt Angelus, neque anima humana: at poſterius repugnat doctrinæ omnium Philoſophorum: Ergo & prius. Secundò, ſi illud ſemen ſpirituale verè ac realiter ab anima excluditur & emittitur, verè & realiter præexiſtebat in anima: realis enim emiſſio præſupponit reale *ineſſe*: at ſpiritus ille non poteſt realiter ineſſe animæ patris: Ergo neque realiter excludi, & emitti ab ea. Probatur aſſumptio: ſpiritus ille non poteſt ineſſe animæ patris ut pars in toto, fatente ipſo *Timotheo*; neque ut accidens in ſubjecto,

subjecto, idque quia est substantia; substantiæ autem repugnat inesse subjecto; neque ut res in loco ambiente, aut in vase continente, talis enim modus continentiæ & circumscriptionis naturæ spirituali animæ repugnat.

4. Tertiò, semen illud spirituale vel fit ex tota anima patris, vel ex parte animæ patris, vel ex nihilo: non enim potest fieri ex materia corporea, tum quia est spiritualis substantia, tum quia ipse *Brightus* testatur illud non ex corpore, sed ex anima natum esse: non fit ex tota anima patris, quia sic tota anima patris evaneseceret, & in spirituale illud semen converteretur: neque ex parte animæ paternæ, quia sic anima patris esset divisibilis in partes, & pars ejus posset amitti & in aliam substantiam transmutari: hæc autem repugnant naturæ spiritualis substantiæ: denique anima patris non producit illud semen ex nihilo, quia sic diceretur creare illud semen, quod est absurdum.

5. Quartò: semen illud animæ vel est incorruptibile, & manet post generationem hominis, vel est corruptibile, & perit eo instanti quo anima producitur. Si posterius dixeris; sequetur, semen illud non esse spiritualem substantiam, quia spiritualis substantia incorruptibilis est, & nullâ virtute creatâ aboleri potest. Si prius admiseris, sequetur, in homine genito duos esse spiritus seu spirituales substantias, vi-

licet animam filii, & semen ex quo illa anima orta est: accedit, quòd naturæ seminis repugnet post rei generationem manere, debet enim substantiali mutatione transmutari in rem ex semine ortam; ad talem autem transmutationem requiritur, ut res genita & corrupta in materia conveniant, quod de semine & anima dici nequit.

6. Quintò: conversio illa seminis spiritualis in animam, vel est conversio accidentalis, qualis est conversio seu mutatio quâ homo malus convertitur & mutatur in bonum, & lapis albus in lapidem nigrum; vel est conversio substantialis, qualis fuit conversio uxoris *Loth* in statuam salis, aut conversio ligni in substantiam illius ignis cui approximatur: non est conversio accidentalis, quia inde sequetur, semen illud spirituale non differre specie & essentialiter, sed gradu perfectionis accidentalis, ab anima; hoc est, esse animam rationalem accidentali aliquâ ratione incompletam & imperfectam: hoc autem contradicit verbis ipsius *Timothei*, dicentis, semen illud non esse actu animam, sed animæ futuræ principium, & aliquando in animam proditurum. Idem etiam confutatur omnibus ijs rationibus, quibus probavimus contra *Meisnerum* animam patris per se & immediate non producere animam filij; item semen cùm emittitur non est actu animatum animâ rationali.

7. Si

7 Si est conversio substantialis, vel fit per totalem annihilationem rei conversæ, quomodo converti volunt Pontificii panem Eucharisticũ in corpus & sanguinem CHRISTI, ut docet Conc. Trident. *sessione* 13. *cap.* 8 *can.* 2. vel fit per abolitionem unius partis essentialis illam rem constituentis, quomodo lignum igni approximatum in ignem convertitur; nam non totaliter aboletur, sed tantùm ejus forma destruitur, remanente materiâ sub forma ignis. Sed neutrũ dici potest: nam primò conversio seminis in animam non est totalis annihilatio seminis, quia annihilatio substantiæ, præsertim spiritualis, à solo DEO fieri potest, ut docet D. *Thomas, parte* 1. *quæst.* 104. *art.* 4, quia item annihilato semine oportet animam ex nihilo produci. Quare cùm non pater, sed DEUS valeat semen illud annihilare, & eo annihilato animam eodem instanti ex nihilo producere, non patri sed DEO soli productio animæ ascribenda est; quod ingens absurdum est, si veratsit ipsorum doctrina.

8 Secundò, conversio seminis in animam non potest fieri per abolitionem unius partis essentiæ, alterâ remanente: primò, quia inde sequetur spiritualem substantiam seminis illius esse corruptibilem, & capacem transmutationis substantialis, non minùs quàm corpora Physica: illa enim aboleri & destrui possunt naturaliter, quoad unam solam essentiæ partem, formam

formam videlicet: secundò, sequetur substantiam illam spiritualem esse revera divisibilem in materiam & formam Physicam, aut in partes integrantes: nam de his solis partibus verum est, quòd earum unâ destructâ altera remanere possit superstes, quoad actualem existentiam: siquidem partium Metaphysicarum, h. e. generis & differentiæ alia ratio est, nam nemo dixerit destructâ animalitate *Socratis* posse remanere ejus humanitatem quoad actualem existentiam, aut contrà destructâ ejus humanitate remanere ejus animalitatem. Tertiò, ubi datur transmutatio à contrario ad contrarium, ibi necesse est dari unam communem materiam quæ sit subjectum transmutationis: at hìc datur transmutatio à *non animâ* ad *animam*, eaq; substantialis: Ergo datur hìc materia constitutiva & seminis & animæ: & confirmatur, quia illa pars superstes, ingrediens constitutionem animæ, necessariò est materia; non enim potest habere rationẽ formæ Physicæ, neq; generis aut differentiæ, ut cuivis manifestum est.

ART.

ART. XV.

Confutatas iam esse omnes sententias de traduce; item neminem ex isto numero posse tutiùs aut faciliùs explicare peccati propagationem, quàm nos, qui animarum creationem defendimus.

QVi putant animam esse ex traduce, & à DEO non creari & infundi, illi necesse habent asserere animam aut educi ex potentiâ seminis per concursum passivum materiæ, aut produci ab animâ patris, absq; concursu materiæ seminis: nam inter hæc duo nullum datur mediũ. Prior sententia à me confutata est, *art.* 3. & 12. posteriorem modum loquendi in quatuor alios dispescere ac subdividere possumus: Si enim anima patris sine concursu materiæ seminis producit animam filii, vel producit eam ex tota sua substantia, vel ex parte suæ substantiæ, vel ex semine quodam spirituali, vel ex nihilo: Primum modum tuendi traducem nemo (quantum intelligo) amplectitur: nam ut benè monet *Bellarm. lib.* 4. *de amiss. gratiæ, cap.* 11. si anima filii sit ex tota anima patris, vel parens deinceps caret animâ, quippe qui totam transfundit

in

in filium; vel tota manet, & in patre & in filio: utrumque est evidenter falsum. Secundam sententiam confutavi *art.* 12. Tertiam *art.* 13. & Quartam *art.* 14. unde concludo, nullum posse excogitari modum tuendi, aut explicandi propaginem animarum, qui non sit in hac disquisitione confutatus.

2 Dicet aliquis, sententiam de traduce, quamvis multis difficultatibus Philosophicis sit exposita, in Theologia tamen esse tutiorem, quia magis expeditè & facilè explicat modum quo originalis corruptio à parentibus in liberos derivatur. Respondeo, eos qui hoc afferunt, gratis illud asserere: nemo enim ex isto numero potest commodiùs aut expeditiùs explicare peccati originalis propagationem, quàm nos qui animarum creationem defendimus: hoc autem manifestum erit, si *Traducianiorum* sententias sigillatim consideremus.

3 Primò igitur, illi qui dicunt *animam educi ex potentiâ materiæ seminis*, necesse habent nobiscum asserere, animam à semine, & sic à corporeo quodam, infici; ut rectè observavit *Meisnerus, sect.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 1. oportet enim eos dicere animam contrahere labem ab immundo semine, ex cujus potentiâ educitur.

4 Secundò, illi qui dicunt *parentem unà cũ semine emittere animæ particulam*, parùm commodè explicant peccati propagationem; quia

ex

ex ista sententia sequitur, filium non solùm esse reum primi lapsûs, sed etiam omnium peccatorum à proximis parentibus commissorum, ut probatum est *art.* 12.

5 Tertiò, illi qui asserunt animam patris producere animam filii ex semine spirituali; illi itè qui putant animam patris producere animam filii absque ullo concursu passivo, vel seminis materialis, vel seminis spiritualis, & proinde ex nihilo, non possunt dici commodè aut expeditè explicare peccati propagationem; quia excogitârunt modum quendam impossibilem propagationis, & principiis tum Philosophiæ tum Theologiæ contrarium, ut probatum est *art.* 10. & 11.

6 Syllogismus quo *Meisnerus* & reliqui *Traduciani* utuntur, ad explicandam peccati originalis propagationem, ita se habet; *Quale est propagans vel traducens, tale est propagatum vel traductum: at anima parentum qua propagant, sunt infecta peccato: Ergo & anima filiorum.* Quia autem aliquis ex *Bellarmino* objicere potuit, ex hoc argumento sequi animam justificatam procreare animam justam in filio, *Meisnerus* argumentum suum cautiùs format, & sic ratiocinatur; *Qualis est anima parentum in se se, talem quoq; propagat animam: at in se se est peccatrix, licèt hoc peccatum justo non imputetur: Ergo animam quoque peccatricẽ propagat.*

7 *Meisneri* ratio, etiam sic concepta & limitata

tata, parùm efficax est, & propositionis falsitate laborat; Si enim anima patris propagat & producit talem animam, qualis est ipsa in seipsa: necessariò sequitur animam ornatam eruditione, & liberalium artium cognitione, talem animam in filio producere; nam ea in seipsa considerata, istis habitibus est ornata. Dicet aliquis: Quid si sic formetur ratio; *qualis est anima patris ex se & suâ naturâ, talem propagat animam; generatio enim est actio naturæ: at ex se & suâ naturâ est destituta habitibus artium & scientiarum; nam labore & industriâ acquiruntur, non verò naturaliter insunt isti habitus animæ: Ergo talem propagat animam.* Respondeo, animam parentum non ratione naturæ suæ simpliciter consideratæ, esse destitutam habitibus scientiarum; absolutè enim loquendo, illi habitus sunt naturales (ut docent nostri contra Pontificios, dum loquuntur de originali justitia) sed ratione naturæ corruptæ & depravatæ. Generatio autem neque est actio naturæ corruptæ, neque per gratiam renovatæ; sed naturæ simpliciter & absolutè consideratæ; ideoque Physicè loquendo, & non considerando occultum DEI judicium in hoc negotio, ea sola possunt vi generationis propagari, quæ pertinent ad naturam hominis simpliciter & absolutè consideratam: labes autem peccati hoc modo se non habet; hoc est, non est homini naturalis absolutè loquendo.

FINIS.

EXERCITATIO TERTIA.

DE

Fide, Scientia, & Opinione:

IN QVA

natura Fidei perſpicuè explicatur,

&

Pontificiorum ac Arminianorum errores de habitu fidei *deteguntur.*

EXERCITATIO TERTIA.

DE

Fide, Scientia, & Opinione:

IN QUA

natura Fidei perspicuè explicatur,

&

Pontificiorum ac Arminianorum errores de habitu fidei *detegantur.*

CLARISSIMO, CONSVLTISSIMO, SPECTATISSIMO,

HONESTARVM VIRTUTUM CULTURA, MULTOque rerum usu præstantissimo DOMINO,

DOMINO IOANNI SCOTT,
A SCOTTISTARVET,

Equiti Aurato, Directori Cancellariæ *Serenissimi & Potentissimi* IACOBI primi, Dei gratia Britanniæ, *Franciæ, & Hiberniæ* REGIS;

Viro

Doctrinæ perpolitæ, Fidei spectatæ, Experientiæ eximiæ;

Qui

NOn solùm Collegium S. LEONARDI, cujus dignissimus Alumnus est, novâ Professione auxit, & ornavit; sed Literatis quoque omnibus, Hospitii, Patrocinii, & Amicitiæ fores libenti animo semper aperuit;

Hoc

Exercitium Philosophicum, in grati animi declinationem, & debitæ observantiæ tesseram, officiosè inscribere & nuncupare debuit, voluit,

Amplitudini ipsius

Humillimè deditus,

R. BARONIUS,

PHILOSOPHIÆ

PROFESSOR.

INDEX

INDEX ARTICVLORVM TERTIAE EXERCITATIONIS.

1. *DE firmitate, certitudine, & evidentia assensuum mentis nostræ.*

2. *Quomodo inter se differant,* scire, credere, & opinari.

3. *An fides semper sit* μετ' ἐπιμονῆς.

4. *An fides possit esse simul cum scientia de eadem propositione, & in eodem intellectu.*

5. *De fidei divisione in* explicitam, & implicitam; *& an inevidentia, quam fidei tribuimus, faciat pro cæca & implicita Pontificiorum fide.*

6. *De triplice lumine; videlicet* naturæ, fidei *seu* gratiæ, & gloriæ.

7. *An detur in viatoribus, lumen aliquod clarius fidei lumine.*

8. *In quo solvuntur tres quæstiones.*

Prima est, *An fides bene distinguatur in* infusam, & acquisitam?

Secunda est, *An fides sit certior ipsis scientiis?*

Tertia est, *Quid sit proprie credere in Deum?*

9. *Refellitur Sententia* Nicolai Grevinchovii, *dicentis habitum fidei non esse infusum, sed acquisitum.*

10. *An fides actualis aut habitualis infantibus insit, aut inesse possit.*

11. *An in Dæmonibus sit fides.*

12. *An fides fuerit in anima Christi: Et, an sit in sanctis, qui jam in cœlum translati, habent Dei cognitionem* facialem, *ut loquuntur Scholastici.*

13. *An rectè negent* Remonstrantes, Adamum *ante lapsum habuisse potentiam credendi in Christum.*

14. *An objectum fidei possit esse falsum.*

15. *Quomodo solvendum sit illud argumentum* Remonstrantium: Quod unusquisque tenetur credere, illud est verum, &c.

16. *An fides sit assensus discursivus: Et, an Pontificij utantur circulari discursu in stabilienda fide.*

17. *An notitia sit actus ab habitu fidei elicitus.*

18. *An fiducia sit actus fidei.*

19. *An fiducia sit actus intellectûs, & quomodo differat ab assensu.*

20. *Vtrum objectum fidei salvifica sit remissio peccatorum jam impetrata; An verò sit remissio*

missio peccatorum impetranda & obtinenda: vbi obiter solvitur precipuum argumentum Bellarmini, *contra* objectum *& naturam fidei justificantis.*

21. *An & quatenus fides ad voluntatem pertineat.*

22. *Vtrum Charitas sit forma Fidei.*

23. *An Religio sit virtus Theologica à Fide distincta.*

24. *Ostenditur* Theologiam Viatorum *tribus modis accipi, & probatur* Theologiam *primo modo acceptam, non esse habitum à* Fide *re distinctum.*

25. *Probatur, contra* Antonium Ruvium, *Theologiam secundo modo acceptam, non esse* scientiam, *sed* fidem divinam.

26. *Probatur Theologiam tertio modo acceptam, hoc est,* Theologiam Scholasticam *esse habitum aggregatum ex* Fide, *&* Philosophicis disciplinis.

27. *Theologiam esse similem omnibus habitibus* Aristotelicis, *precipuè verò prudentiæ.*

28. *Vtrum Theologia sit disciplina speculativa, an practica.*

29. *An* Theologia Viatorum *dici possit* speculativa *à* speculatione, *seu visione, quæ futura est in* Patria.

30. *An vera & propriè dicta Theologia possit esse in homine impio, seu non renato.*

EXERCITATIO TERTIA.

De Fide, Scientia, & Opinione.

ART. I.

De firmitate, certitudine, & evidentia assensuum mentis nostræ.

CVM omnis habitus intellectivus, pro fine proximo habeat *notitiam*, sive *assensum*, quo mens assentitur iis propositionibus, quarum veritatem percipit & cognoscit; operæ pretium erit, nonnihil præfari de *assensu* mentis, deque

deque ejus affectionibus, & ſpeciebus, idque ut intelligatur diverſitas actuum mentis noſtræ.

2. Aſſenſus mentis, *eſt judicium quo intellectus judicat propoſitionem aliquam eſſe veram*: mens enim aſſentitur huic propoſitioni, *homo eſt animal*, eam amplectendo & approbando, hoc eſt, judicando eam eſſe veram.

3. Tres ſunt gradus perfectionis, quos in aſſenſu mentis obſervârunt Philoſophi, videlicet *firmitas*, *certitudo*, & *evidentia*: quibus opponuntur totidem gradus imperfectionis, videlicet *infirmitas* ſeu *vacillatio*, *incertitudo*, & *inevidentia*.

4. Aſſenſus firmus, *eſt is qui eſt ſine hæſitatione*, *dubitatione*, *aut formidine partis oppoſitæ*. Infirmus verò, ſeu vacillans aſſenſus, *eſt cùm mens ita aſſentitur huic vel illi propoſitioni, ut de eius veritate dubitet, aut ſaltem aliquo modo metuat ne iſti propoſitioni aſſentiendo erret*.

5. Aſſenſus certus, *eſt qui nititur certo aliquo aut ſolido fundamento, non verò levi aut fallaci ratione*. Aſſenſus incertus, *eſt qui contrario modo ſe habet*. Hìc diligenter notandum eſt, ad certitudinem aſſenſûs requiri, *ut fundamentum quo mens nititur, dum aſſenſum præbet, non ſolùm ſit in ſe certum, ſed etiam ut aſſentienti tale videatur*: niſi enim ille ſciat rationem, qua nititur, eſſe certam, ejus aſſenſus nullo modò

erit certus & stabilis.

6. Denique assensus evidens, *est cùm quis per se, hoc est, vi sui sensûs aut rationis, absque alterius informatione & testificatione percipit eam propositionem, cui assentitur, esse veram*: exempli gratiâ, cùm video *Socratem* apud me stantem, assentior huic propositioni, *Socrates stat*: & assensus meus est evidens, idque quia non per alterius informationem aut testimonium, sed vi mei sensûs, rem ita se habere percipio: item cùm assentior huic propositioni, *homo est animal*, assensus est evidens, idque quia vi proprii intellectûs, seu rationis, percipio homini inesse naturam sensitivam: adeoque quamvis nemo illud assereret, imò quamvis omnes contrarium assererent, istam propositionem veram esse judicarem.

7. Contrà verò, inevidens est assensus, *cùm quis assentitur propositioni, non quòd sensus aut solida ratio eam veram esse demonstret: sed vel quòd levis & inefficax ratio illud suadeat*, (levis enim ratio non pellit mentis tenebras, atque adeo facit assensum obscurum & inevidentem) *vel quòd alius testetur eam esse veram*: sic qui vidit *Petrum* interfectum, & assensum præbet huic propositioni, *Petrus est interfectus*, ejus assensus est evidens: qui verò propter hujus narrationem & testimonium, assensum præbet isti propositioni, ejus assensus est inevidens, idque

idque quia neque sensu, neque ratione percipit eam esse veram.

8. Hi tres gradus perfectionis, qui in assensu cernuntur, ita se habent, ut secundus includat primum, eique aliquid superaddat: tertius verò includat & primum & secundum, illisque aliquid superaddat: nam ut assensus sit firmus, satis est quod fundamentum, quo nititur ille assensus, assentienti certum & solidum videatur: quamvis enim revera non sit tale, si tamen assentienti tale esse videatur, is proculdubiò firmiter & absque hæsitatione assentietur: sic hæretici firmiter assentiuntur suis erroribus; quamvis enim fundamenta quibus nituntur, non sint certa & solida, iis tamen (quæ eorum est cæcitas) efficacissima & validissima videntur.

9. At verò ut assensus sit certus, & planè ab errore alienus, non tantùm requiritur, ut fundamentum quo nititur, videatur assentienti certum, & solidum; sed etiam ut revera & in se tale sit; alioqui assensus noster erit erroneus, & falsus: quare quamvis hæreticis attribui patiamur firmitatem in judicando, non tamen putamus ijs competere certitudinem iudicandi: certitudo enim & error simul consistere nequeunt.

10. Tandem verò, ut assensus sit evidens, non tantùm requiritur, ut eius fundamentum assentienti videatur certum & solidum, & etiam

am in se sit tale; sed etiam requiritur, ut illud fundamentum non sit alterius testimonium, vel narratio; sed vel sit sensus, vel solida aliqua ratio perspicuè demonstrans rem ita se habere.

11. Quemadmodum igitur assensus potest esse firmus, quamvis non sit certus, ut videre est in hæreticis, absque ullo timore aut formidine assensum præbentibus iis dogmatis, quæ Catholicæ Fidei aut bonis moribus repugnant; ita etiam assensus potest esse certus, quamvis non sit evidens: qui enim assentitur propositioni alicui propter DEI testimonium in sacrâ Scripturâ propositum, eius assensus procul dubiò est valdè certus, quia nititur certissimo fundamento, videlicet DEI testimonio, non tamen est evidens, non enim ideo assentitur Theologus, quòd aut sensu aut ratione percipiat rem ita se habere: sed quòd DEUS asserat, aut dicat rem ita se habere.

12. Ex his patet, hos tres gradus perfectionis, qui in assensu mentis cernuntur, ita se habere, ut primus latiùs pateat secundo, & secundus tertio; quemadmodum etiam in gradibus necessitatis, καθ' ὅτι latiùs patet quàm καθ' αὑτὸ, & καθ' αὑτὸ quàm καθόλου πρῶτον.

ART.

ART. II.

Quomodo inter se differant, scire, credere & opinari.

1. OMnis assensus mentis vel est actus *sciendi*, vel actus *credendi*, vel actus *opinandi*; quandocunque enim judicamus aliquid esse verum, vel certò scimus illud esse verum; vel credimus illud esse verum propter alterius testimonium; vel propter levem, & inefficacem rationem opinamur illud esse verum.

2. Actus sciendi, cùm opponitur actibus credendi & opinandi, latè accipitur, pro quavis notitia actuali certa & evidente; quomodo accepta scientia non solùm cernitur in disciplinis speculativis, sed etiam in practicis: nam in Philosophia morali, quæ est disciplina practica, non opinamur, aut credimus, sed evidenter scimus actiones liberalitatis esse honestas, actiones verò vitiorum ei oppositorum esse inhonestas: in ædificatoria arte non opinantur aut credunt, sed evidenter sciunt periti Architecti bases in ædificiis esse ad libellam collocandas, columnas esse ad perpendiculum erigendas, aliaque similia: nec solùm circa universalia, sed etiam singularia versatur hæc notitia. Nam cùm video *Pe-*

trum

trum ſtantem, aut audio *Petrum* loquentem, non opinor, aut credo, ſed ſcio *Petrum* loqui & ſtare.

3. Huius diviſionis ſufficientia ſic demonſtratur: omnis aſsenſus mentis vel nititur teſtimonio, vel ratione: ſi nititur teſtimonio, eſt fides actualis, ſeu actus credendi; ſi verò nititur ratione, vel nititur ratione certâ & ſolidâ, eſtque ſcientia; vel nititur ratione tantùm probabili, eſtque opinio.

4. Aſsenſus nitens alterius teſtimonio, vel nititur teſtimonio *divino*, & à Scholaſticis appellatur *fides divina*; vel nititur teſtimonio *humano*, & appellatur *fides humana*.

5. Hìc obiter notare poſsumus Pontificiorum ἀβελτίαν; qui nobiſcum fatentur, eam fidem non divinam ſed humanam eſse, quæ præcipuè teſtimonio hominum nititur: & nihilominus audaciſſimè aſseverant, aſsenſum, quem præbemus articulis fidei & ipſi ſacræ Scripturæ, undecilli articuli colliguntur, niti teſtimonio *Eccleſiæ* (ut vocant) *repræſentative*, h. e. Epiſcoporum & Paſtorum in generali concilio congregatorum; item Eccleſiæ (ut ipſi loquuntur) *virtualis*, h. e. ipſius Pontificis Romani: atque ita aut fateri cogentur, omnem fidem *viatorum* humanam eſse, penitus videlicet ſublatâ fide divinâ, aut eorum Epiſcopos non homines ſed DEOS indigitandos eſse.

6. Pulchra

6. Pulchra instituì potest comparatio inter scientiam, opinionem, & fidem divinam: scientia enim est assensus *firmus, certus, & evidens*; fides divina est assensus *firmus & certus, sed non evidens*; opinio denique etsi aliquando sit assensus *firmus*, h. e. sine hæsitatione, aut dubitatione, sæpè tamen *neque est firmus, neque certus, neque evidens.*

7. *Scientia* est assensus *firmus*, quia is qui scit propositionem aliquam esse veram, non dubitanter aut hæsitanter assentitur, sed firmiter: est assensus *certus*, quia is qui scit, nititur solido aliquo fundamento; alioqui non sciret, sed opinaretur: denique est *evidens*, quia sciens non ideo assentitur, quòd alius testetur eam propositionem esse veram, sed quòd ipse vi alicujus evidentis argumenti, percipiat rem ita se habere.

8. *Fides divina* est assensus *firmus*, quia illi qui in DEUM credunt, non hæsitant, aut dubitant de veritate historiæ sacræ, & promissionum divinarum: est assensus *certus*, quia nititur certissimo fundamento, videlicet DEI testimonio, qui est ipsa veritas: non tamen est evidens; is enim qui credit, non ideo assentitur, quòd sensu aut ratione percipiat rem ita se habere, sed quòd DEUS hoc testetur & asserat.

9. Hinc patet, quàm egregiè Apostolus, undecimo ad *Hebræos*, vers. primo, naturam fidei

fidei divinæ expresserit; cùm enim dicit eam esse ὑπόστασιν, indicat ejus *firmitatem & certitudinem*; cùm verò dicit eam esse πρᾶγμα οὐ βλεπόμενον, ejus *inevidentiam & obscuritatem ænigmaticam* declarat.

10. *Opinio* aliquando potest esse assensus *firmus*, (nonnunquam enim homines ita moventur levibus rationibus, ut eas pro validissimis argumentis habeant, ideoque absque ulla hæsitatione aut formidine partis oppositæ assentiuntur;) nunquam verò est *certus aut evidens*: is enim qui opinatur, vel nititur levibus rationibus, vel hominum testimoniis, quæ nunquam pariunt nobis aut certitudinem aut evidentiam judicandi.

11. Dicet aliquis, hanc comparationem *fidei, scientiæ, & opinionis*, quam iam attulimus, derogare de dignitate fidei; ex ea enim sequitur, quamlibet scientiam esse perfectiorem assensum fide, quia viz: deest fidei evidentia, quæ tamen competit scientiæ. Respond. scientiam esse perfectiorem fide secundùm quid, quia viz: est assensus evidens; fidem verò esse perfectiorem qualibet scientiâ simpliciter & absolutè; idque propter duas rationes, 1. enim fides versatur circa nobilissimum obiectum; h. e. circa magnum illud mysterium pietatis, Deum in carne revelatum, iustificatum in spiritu, conspectum ab Angelis, & prædicatum Gentibus.

bus. 2. fides nititur certissimo fundamento, h. e. DEI ipsius testimonio, qui ipsa veritas est, quique nec fallere nec falli potest.

ART. III.

An fides semper sit τῶν οὐ βλεπομένων.

1. DIctum est superiori articulo, fidem omnem, sive sit *divina*, sive *humana*, esse assensum inevidentem; & ob id Apostolum 11. ad *Hebraeos*, *vers.* 1. asserere fidem esse τῶν οὐ βλεπομένων: idem etiam confirmari potest ex 1. *Cor. cap.* 13. *vers.* 12. ubi Apostolus asserit, *Nos nunc videre per speculum, & in aenigmate.* Item ex doctrina ejusdem Apostoli, de *cessatione & evacuatione fidei*, quae futura est in *patriâ*, ideo enim fides evacuari dicitur, & non perfici, sicut charitas, quia imperfectionem quandam, nimirum *obscuritatem* & *inevidentiam*, in sui ratione & essentiâ involvit: quare *Augustinus* in illud *Johannis* 14. *vado parare vobis locum*, egregiè dicit, *eat* DOMINUS, *ut paret locum; eat, ut videatur; lateat, ut credatur.* Similiter docet *Gregorius*, *Hom.* 16. *in Evang. & lib.* 4. *Dial. cap.* 5. *apparentia* (inquit) *non habent fidem, sed agnitionem:* & iterum: *hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri.*

2. Vt

2. Vt autem hoc planius evadat, afferam & solvam ea argumenta, quæ probant ea etiam quæ videntur vel sciuntur, sub fidei objecto comprehendi: quale imprimis est illud DOMINI ad Discipulos, *Iohan.* 14. *dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis:* hinc enim colligitur, fidem esse aliquando rerum per experientiam cognitarum, atque adeo *visarum.*

3. Deinde *Iohan.* 20. cùm dixisset *Thomas* Apostolus: *nisi videro, non credam;* CHRISTUM videlicet redivivum; dixit ei DOMINUS jam credenti, *quia vidisti me* Thoma, *credidisti.*

4. Tertiò: cæteri quoque Apostoli, & Virgo Maria, multique alii fideles, quod viderunt hoc crediderunt; CHRISTUM videlicet hominem, passum, mortuum, sepultum, à mortuis resurgentem, & in cœlos ascendentem, & alia multa quæ ipsis fidei articulis expressa sunt: unde *Iohan.* 1. *Epist.* 1. ait, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ annuntiamus vobis.*

5. Quartò: Philosophus aliquis sciens per Demonstrationem, unum DEUM esse omnium rerum principium & causam, potest ejusdem propositionis accipere fidem, manente priori cognitione; si videlicet è Pagano fiat Christianus: is ergo simul habebit fidem & scientiam, ejusque

ejusque fides pro objecto habebit res evidenter scitas seu visas.

6. Vt hæc argumenta tollantur, primò ponam aliquot fundamenta, ex quibus horum argumentorum solutiones colligi possunt; deinde *Fonsecæ, Estii,* & aliorum pravam doctrinam de repugnantia *fidei* & *scientiæ* confutabo. Primum fundamentum sit hoc; Fides *seu* τὸ credere *sæpenumero in Scriptura, & apud probatos Authores generaliter accipitur, pro eo quod est quovis modo assentiri & iudicare aliquid verum esse:* sic enim dicitur aliquis *oculis suis credere,* & apud Dialecticos qualecunque argumentum *fidem facere* dicitur.

7. Secundum fundamentum est: *S. Thomam, alios q. Apostolos & fideles; aliud vidisse, aliud credidisse:* hominem enim viderunt, & DEUM crediderunt: h. e. aut ait *Augustinus, Cernebant hominem viventem quem viderant morientem, & credebant* DEUM *in carne latentem;* & alibi, *apparuit inter homines homo, offerens* HOMINEM *videntibus,* DEUM *servans credentibus.*

8. Tertium fundamentum: *fides dicitur assensus inevidens; item dicitur esse* τῶν μὴ βλεπομένων, *non quòd ea quæ creduntur, omnino inevidētia sint, & nullo modo videātur; sed quòd quatenus creduntur, inevidētia sint, seu quòd non habeant evidentiam ab eo propter quod creduntur:*

In hoc enim differt fides à scientiâ, quòd fundamentum quo nititur scientia, (h. e. *medium demonstrationis*) per evidentiam rei intellectum convincat, causas ejus aperiendo; fundamentum verò quo nititur fides (videlicet DEI *authoritas*) intellectum convincat, non per evidentiam rei cui assentimur, sed per certitudinem suam & infallibilitatem. Cùm igitur munus fidei, non sit efficere ut res obscuræ fiant perspicuæ, sed efficere ut intellectus cedat authoritati dicentis, & sic assentiatur; manifestum est ea quæ creduntur quatenus creduntur esse inevidentia, seu non habere evidentiam à fundamento suo propter quod creduntur: vide D. *Pareum de Iustificatione, lib. 2. cap. 5.* & D. *Richardum Field, de Eccl. lib. 4. cap. 8.* Cæterùm hoc non impedit, quo minùs ea quæ creduntur aliâ ratione evidentia sint, & ex se manifesta vel sensibus externis vel rationi: sicut enim una & eadem propositio, quatenus est conclusio demonstrationis judicatur esse necessaria, & non posse aliter se habere; quatenus verò est conclusio probabilis syllogysmi, judicatur ab eodem homine contingens, & posse aliter se habere: ita etiam Articuli quidam fidei, quatenus ab Apostolis sensu percipiebantur, aut à nobis ratione manifestâ demonstrantur, evidentiam habent & claritatem; quatenus verò creduntur propter DEI testantis authoritatem, evidentiam illam

illam non habent, & ob id rectè dicuntur ἀ σλεμόμενα.

ART. IV.

An fides *possit esse simul cum* scientia *de eadem propositione, & in eodem intellectu.*

1. QVæri solet de scientia & fide, *utrum unus & idem homo possit simul credere & scire eam propositionem cui assentitur esse veram; an verò tanta sit repugnantia fidei & scientiæ, ut simul in eodem intellectu existere nequeant.* In hac controversia, tanta est opinionum varietas, ut vix invenias duos celebres viros de ea idem sentientes: primò enim *Scotus, in 3. Sent. Dist. 24. quæstione unicâ* dicit, *Neque actus, neque habitus fidei & scientiæ, posse simul in eodem intellectu existere circa idem subjectum.*

2. Secundò *Durandus, quæst. 1. prologi Sent. & lib. 3. Sent. dist. 17. quæst. 4.* planè contrarium statuit, dicens *fidem & scientiam circa eandem propositionem, & in eodem intellectu simul existere posse, tam secundùm actus, quàm secundùm habitus.* Tertiò, *Petrus Fonseca, in lib. 6. Metaph. cap. 10. quæst. 1. Sect. 5.* asserit *habi-*

tus fidei & scientiæ posse existere in eodem intellectu, & de eodem subjecto, ita tamen ut actus ab iis productus non sit actus fidei, sed scientia quædam, eaque supernaturalis, propter concursum fidei ad eum producendum. Quartò: *Gulielmus Estius*, Duacensis Theologus, *in 3. Sent. dist. 24. Art. 3.* tria asserit: 1. *habitus fidei & scientiæ, posse simul existere in eodem intellectu, & de eodem obiecto.* 2. *utrumque habitum diversis temporibus posse suum actum exercere.* 3. *actum quem tum elicit habitus fidei, non esse fidem consideratam secundùm totam amplitudinem suæ significationis:* hoc est, secundùm omnes conditiones in ea requisitas, quia videlicet non est inevidens rei notitia.

3. Quinta sententia, eaque verissima, est acutissimi Doctoris *Antonii Ruvio Rhodensis*, in suo opusculo de habitibus, *tractatu 3. quæst. 3.* ubi etiam tria innuit: primò, *hos habitus posse simul esse in eodem intellectu, & de eodem obiecto.* 2. *utrumque habitum diversis temporibus posse suum actum exercere, sed non eodem tempore.* 3. *actus ab illis habitibus, diversis temporibus elicitos, esse veros & propriè dictos istorum habituum actus, & per præsentiam habitûs sciendi nihil derogari de proprietate actûs credendi.* Dico *Ruvium* hæc tantùm innuere; quia expresè & directè ibi loquitur solummodo de scientia & opinione; eadem autem ratio est

scientiæ

scientiæ & fidei, quoad possibilitatem & impossibilitatem coëxistendi, ut cuivis manifestum est.

4. Primò igitur probatur contra *Scotum*, habitus fidei & scientiæ posse simul esse in eodem subjecto, & circa idem objectum, idque hac ratione: Si quid impedit quo minùs hi habitus in eodem intellectu coëxistant, illud maximè est repugnantia actuum ad quos referuntur: Sed hoc non impedit: Ergo &c. probatur assumptio: Habitus nihil sunt aliud, nisi faciles & expeditæ potentiæ ad actus: sed non impossibile est, aliquem habere simul potentias ad repugnantes actus, quos potest diversis temporibus exercere, licèt simul non possit exercere utrumq;: nam simul habemus potentiam ad flendum, & potentiam ad ridendum: item potentiam ambulandi, & potentiam sedendi; quamvis harum potentiarum actus adeo repugnantes sint, ut non possint uni subjecto simul inesse. Secundò, potest aliquis, qui per fidem novit mundum à Deo fuisse creatum, postea per Demonstrationem acquirere scientiam de creatione Mundi, quâ productâ & acquisitâ non destruitur fides de illo articulo; sic enim non liceret homini Christiano, Metaphysicæ & Physicæ operam dare, ex quibus colliguntur Demonstrationes de creatione Mundi: non enim licet ea facere quæ fidem aut destruunt, aut imminuunt.

5. Secundò: probatur contra *Durandum*, non esse possibile, ut intellectus eodem tempore, id est, uno & eodem instanti eliciat, & inevidentem assensum fidei, & evidentem assensum scientiæ; quia sicut impossibile est, ut homo per sensum visûs eandem rem eodem tempore *distinctè* & *confusè* videat & percipiat, ita etiam impossibile est, ut homo per intellectum, qui est animi oculus, eandem rem eodem instanti evidenter & inevidenter percipiat; ideoque impossibile est, ut simul habeat duos actus; unum evidentem, scientiæ; alterum inevidentem, fidei.

6. Tertiò: probatur contra *Fonsecam* & *Estium*, habitum fidei, quamvis in eodem intellectu coëxistentem habeat habitum scientiæ, posse elicere verum & propriè dictum actum fidei, idque secundùm omnes conditiones in actu credendi requisitas: & proinde fidem & scientiam posse esse in eodem intellectu, & de eadem propositione, etiam quoad actus, sed diversis temporibus elicitos; ratio est hæc: potest aliquis fidelis, etiam post acquisitam scientiam de creatione mundi, ita apud se statuere; *Ego tam firmiter assentior huic propositioni*, DEUS creavit mundum, *propter* DEI *testantis authoritatem, ut quamvis per rationem aliquam non perciperem mundum esse à* DEO *creatum: ipsa quamvis corrupta ratio contrarium dictita-*

ret;

ret, assentirer tamen isti propositioni sine ulla formidine aut metu.

7. Hoc judicium mentis sine controversia provenit à sola fide, non à scientia & fide simul, estque verus & proprie dictus fidei actus; hoc est, non deest ei ulla conditio in actu credendi requisita: prius probatur contra *Fonsecam*; quia neque scientia, neque aliquis alius naturalis habitus potest aliquid tale dictitare. Posterius etiam probatur, tum contra *Fonsecam*, tum contra *Estium*; quia assensus iste nititur solâ authoritate testantis: Ergo est inevidens: consequentiæ ratio est, quòd assensus iste sit inevidens, cujus fundamentum quo nititur non valet parere evidentiam, sed certitudinem tantùm: at hic assensus est talis: nam authoritas testantis non convincit intellectum nostrum per evidentiam & claritatem rei, sed per suam certitudinem & irrefutabilitatem. Ratio propositionis majoris est hæc: talis est assensus, quale est medium & fundamentum quo nititur: Si enim medium sit certum, possitque intellectum nostrum certificare, & ut tale cognoscatur ab assentiente, noster assensus est certus: Si verò non ita se habet, est incertus: Ergo pari ratione, si medium valeat parere evidentiam intelligendi, assensus est evidens; si verò non valeat, est inevidens.

ART. V.

De fidei divisione in explicitam, *&* implicitam; *& an inevidentia, quam fidei tribuimus, faciat pro cæca & implicita Pontificiorum fide.*

1. SCholastici Theologi dividunt fidem in *explicitam* & *implicitam*, vel ut loquitur *Lombardus*, *lib: 3. Sent: Dist: 25.* in *distinctam*, & *velatam* seu *confusam*: hujus distinctionis explicationem legere possumus apud clarissimum *Tilenum*, *parte primâ Syntagmatis*, *Disp.* 38. *Thes.* 23. & 24. item apud *Durandum*, *lib: 3. Sent. dist.* 25. *quæst.* 1. *S. Thomam*, 2. 2. *q.* 2. *Art.* 7. *Gulielmum Estium*, *lib.* 3. *Sent. Dist.* 25. ex quibus authoribus descriptiones membrorum istius divisionis sic colligi possunt: fides explicita, *est qua aliquid creditur secundùm se, distinctè, & in particulari.* Implicita verò, *est qua aliquid creditur non in se, sed in alio, tanquam in universali*; Exempli gratiâ, Christiani rudes & simpliciores (ut loquuntur) qui ea sola intelligunt, quæ ad salutem absolutè necessaria sunt, ut articulos fidei, decalogum, & cætera, cùm ex animo profitentur se credere *S. Scripturam esse* DEI *verbum*, *& proinde fide dignam*,

nam, duplex habent ſuæ fidei objectum; unum generale, quod formaliter, explicitè, & per ſe credunt: alterum particulare, quod implicitè & ex conſequenti credunt: objectum generale, quod explicitè credunt, *eſt Scripturam eſſe* DEI *verbum, & proinde fidem ei adhibendam eſſe*: objecta particularia, quæ implicitè in illo generali & ex conſequenti credunt, ſunt hiſtoriæ & dogmata Scripturæ, quorum cognitionem nondum aſſecuti ſunt, *ut Noachum habuiſſe tres filios, Abrahamum duos, non ablatum eſſe ſceptrum à Iuda ante adventum Meſſiæ*: qui enim credunt Scripturam totam eſſe veram, illi implicitè & ex conſequenti credunt omnia eſſe vera quæ in Scriptura continentur, hoc eſt, habent fidem implicitam omnium hiſtoriarum, dogmatum, & prædictionum Propheticarum, quæ ſunt in ſacræ Scripturæ volumine, omnium (inquam) quorum particularem & diſtinctam notitiam non acquiſiverunt.

2. Quæri hìc poteſt, an hæc diviſio fidei in *explicitam* & *implicitam*, in Scholis Eccleſiarum reformatarum ferenda ſit; Reſpond. duabus aſſertionibus: prior eſt hæc; prædicta diſtinctio fidei admitti poteſt, ſi ſano modo concipiatur: certum enim eſt non ſolùm Laicos & ſimpliciores, ſed etiam clariſſimos & doctiſſimos Theologos quædam implicitè credere in iſto generali *quòd Scriptura ſit* DEI *verbum, & proinde*

proinde fide dignissima; quædam (inquam) quorum distinctam intelligentiam nondum assecuti sunt: hoc enim patet ex quotidiano nostro in cognitione Scripturæ profectu, qui tamen non arguit Scripturæ ipsius obscuritatem (ut nugantur Pontificij) sed ingenij nostri imbecillitatem, & mysteriorum cœlestium, quæ in Scriptura passim traduntur, immensam opulentiam, quæ sensim angusto illi vasi mentis humanæ instillanda est, non autem tota simul infundi potest.

3. Secunda assertio est hæc: prædicta distinctio fidei Christianæ, si ita accipiatur ut à Pontificijs accipi solet, rejicienda est tanquam erassa, absurda, & naturæ fidei planè contraria: illi enim per *fidem implicitam* intelligunt eam fidem quâ Laici ignota & nondum intellecta fidei dogmata credunt implicitè in illo generali, *quòd vera sint omnia quæ Romana Ecclesia credit & pro veris amplectitur*; quæ quidem fides non est divina, sed humana, id est, non nititur DEI, sed hominum testimonio: non est ὑπόστασις aut ἔλεγχος, sed levis & fallax conjectura, quæ non DEI verbo, sed hominum Iudicio per se parùm firmo, atque adeo fragili admodùm & ruinoso fundamento nititur.

4. Quæri etiam potest; an *inevidentia* quam non solùm Theologi *Sententiarii*, sed etiam Orthodoxi Doctores fidei attribuunt, faciat

faciat pro cæcâ illâ & implicitâ Pontificiorum fide: generalis enim & confusus ille assensus, qui solo Ecclesiæ *Romanæ* testimonio nititur (ut id quod res est dicam) maximè est inevidens. Respond. *inevidentiam* nihil pro eorum sententia facere: quia inevidentia illa non excludit omnem notitiam, sed eam solam quæ nititur medio scientifico; id est, sensu aut evidente ratione à naturâ rei petitâ. Secundò, quia certitudo, quæ est secunda fidei conditio, necessariò præsupponit firmam notitiam & persuasionem de doctrinâ, cui assentimur, quòd non sit hominis sed DEI verbum: talis autem notitia aut persuasio implicitæ Pontificiorum fidei velut è regione adversatur, ac proinde in eâ certitudo inveniri non potest.

ART. VI.

De triplici lumine, videlicet naturæ, fidei, gratiæ, & gloriæ.

1. IN Theologia Scholastica variæ inveniuntur distinctiones peritæ ab istis tribus terminis, *naturâ, gratiâ, & gloriâ*. Prima est, quâ DEI Opt. Max. regnum distinguitur, in *regnum naturâ, regnum gratiæ, & regnum gloriæ*. Regnum naturæ, est naturale illud imperium,

quod

quod DEVS habet in omnes res creatas, quas pro arbitrio regit & gubernat. Regnum gratiæ, est quo DEVS regnat in Ecclesiâ suâ in terris militante. Regnum gloriæ est, quo regnat in Ecclesiâ in cœlis triumphante.

2. Secunda distinctio, est quâ DEI localis præsentia distinguitur in *præsentiam naturalem*, seu essentialem, *gratiosam*, & *gloriosam*. Secundùm præsentiam naturalem DEVS est ubique: per præsentiam gratiosam DEVS dicitur esse in justis & sanctis hominibus, & vicissim illi habitaculum & Templum DEI dicuntur; & per præsentiam gloriosam Deus dicitur esse in cœlis, ubi gloriam suam & majestatis splendorem beatis hominibus & Angelis manifestat.

3. Tertia divisio, est quâ opera DEI *ad extra* dividuntur in *opera naturæ*, *opera gratiæ*, & *opera gloriæ*. Opera naturæ, sunt rerum visibilium & invisibilium creatio, conservatio, & cum ipsâ eadem cooperatio in omnibus earum actionibus: *nam in eo vivimus, movemur, & sumus*. Opera gratiæ, sunt verbi incarnatio, humiliatio, exaltatio, triplex ejus officium, videlicet Regium, Propheticum, & Sacerdotale: item electorum per verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem efficax vocatio, eorundemque regeneratio, & justificatio. Denique opera gloriæ, quæ *Polanus* appellat opera DEI post

poſt hanc vitam, ſunt adventus DOMINI ultimus, reſuſcitatio mortuorum, univerſalis mundi hujus elementaris abolitio, aut ſaltem mirabilis tranſmutatio per ignem conflagrationis, ut loquuntur: item judicii ultimi proceſſus, executio, & gloriæ DEI in omnem æternitatem manifeſtatio.

4. Quarta diſtinctio, eſt quâ vita humana dividitur in *vitam naturæ*, ſeu naturalem; *vitam gratiæ*, & *vitam gloriæ*. Vita naturalis poſita eſt in conjunctione animæ viventis cum corpore. Vita gratiæ poſita eſt in viatorum in terris peregrinantium conjunctione cum DEO per fidem, ſpem, & charitatem. Vita gloriæ poſita eſt in æternâ illâ & immutabili hominum glorificatorum coniunctione cum DEO, per claram eius viſionem, & ardentem amorem ſeu charitatem.

5. Quinta diviſio, eſt quâ conſilium & decretum DEI de æternâ quorundam hominum ſalute, dividitur in prædeſtinationem ad gloriam, & prædeſtinationem ad gratiam: prior eſt de fine, poſterior de mediis ad finem: prior eſt DEI decretum de dandâ gloria; poſterior eſt eiuſdem decretum de dandâ eâ gratiâ, quam Scholaſtici vocant *gratiam gratum facientem*.

Sexta diſtinctio, eſt quâ lumen intellectûs humani dividitur in *lumen naturæ*, *lumen gratiæ* ſeu fidei, & *lumen gloriæ*. Lumen naturæ, eſt quo

quo ea cognoscimus quæ solis naturę viribus, sine auxilio DEI speciali, intelligi à nobis & diiudicari possunt: de huius luminis virtute, & quousque se extendat (DEO favente) in sequentibus disputationibus hîsce differam. Lumen fidei, est quo ea cognoscimus & intelligimus quæ DEVS in verbo suo nobis patefecit. Lumen gloriæ, est quo beati spiritus in cœlis clarè & perspicuè vident glorioſissimam DEI essentiam. Huic triplici lumini respondet triplex Theologia, videlicet Theologia naturalis seu Metaphysica, Theologia revelationis quæ etiam Theologia *viatorum* dicitur, & Theologia visionis seu Theologia *comprehensorum*.

7. Solam hanc ultimam distinctionem ex instituto hîc propono, idque ut manifestum sit *Scholasticos* cùm fidei inevidentiam attribuunt, non tribuere ei cæcitatem & ignorantiam; sed notitiam quandam, quæ licèt obscura sit si conferatur cum visione quæ est in *patria*, ab ipsis tamen Scholasticis lumen vocatur; reliquas verò distinctiones propono quasi per accidens, quia videlicet habent pulchram analogiam & proportionem ad hanc distinctionem luminis intellectualis.

8. Analogia seu proportio harum distinctionum sic concipi potest: homo quatenus vivit *vitam naturæ*, est civis *regni naturæ*; utitur *lumine naturæ*, & per illud percipit eam DEI præsentiam

præſentiam quæ vocatur *præſentia naturæ*, item *opera naturæ* quæ illam præſentiam conſequuntur. Idem homo, quatenus vivit *vitam gratiæ*, eſt civis *regni gratiæ*, utitur *lumine gratiæ* ſeu fidei, & per illud percipit DEI *præſentiam gratioſam* in corde ſuo, & *opera gratiæ* quæ eam præſentiam conſequuntur. Idem denique, quatenus vivit iſi cœlis *vitam gloriæ*, eſt civis *regni gloriæ*, utitur *lumine gloriæ*, ac per illud percipit DEI *præſentiam glorioſam*, item *opera gloriæ*, h. e. inenarrabilia effecta glorioſæ iſtius præſentiæ.

9. Obiter hìc notari poteſt, quòd ſicut olim DEVS inchoavit opus creationis à *lumine corporeo* & ſenſibili, ita etiam opera regenerationis & glorificationis noſtræ à *lumine ſpirituali* orditur: cùm enim DEVS efficaciter electos vocat ad ſalutem per ſpiritum ſanctum, primò eorum intellectum illuminat lumine fidei, & colluſtrat; ſecundò voluntatem emollit & ſanctificat. Similiter in opere glorificationis ordine naturæ præcedit illuminatio intellectûs noſtri, per lumen gloriæ, ad DEI eſſentiam clarè & perſpicuè videndam; deinde ſequitur voluntatis inflammatio & incenſio per ardorem charitatis. Ratio hujus ordinis eſt, quia cognitio præcedit amorem, atque adeo clara cognitio ſeu viſio præcedere debet ardentem & perfectum amorem.

10. Contrà

10. Contrà verò *Draco ille Magnus*, qui meritò *Rector tenebrarum* vocatur, dirum istud opus æternæ perditionis à tenebris orditur: cùm enim (ut docet D. *Thomas*, 1.2. *quæst.* 77. *Art.* 8. & cum eo *Cajetanus*, *Durandus*, *Capreolus*, & *Estius*) non possit esse peccatum in voluntate sine prævio errore intellectûs, vafer ille spiritus primò intellectui caliginem, & quasi noctem quandam offundit; deinde voluntatem à vero bono ad bonum apparens convertit, & sensim eam indurat.

ART. VII.

An detur in viatoribus lumen aliquod clarius fidei lumine.

1. THeologia dividi solet in Theologiam *Laicorum* & Theologiam *Doctorum*, quam *argumentativam* & *Scholasticam* vocant. Prior est nuda notitia credibilium (ut vocant) ad salutem necessariorum; posterior non est nuda notitia credibilium, sed est facultas quâ valemus articulos fidei explicare, defendere, & confirmare, alioisque de eorum veritate instruere.

2 Theologia *argumentativa* seu *Scholastica* duplice nomine Theologiam *Laicam* excedere

dere dicitur: primò quòd extendat se ad plura credibilia; plura enim intelligunt viri docti in spiritualibus, quàm Laici & simplices. Secundò quòd valeat explicare aliis ea quæ credenda sunt, eaque defendere, & confirmare contra Atheos, Iudæos, Mahumetanos, Ethnicos. Hæc Theologiæ distinctio præbuit nonnullis, de quibus loquitur *Durandus in prol. Sent. quæst.* 2. occasionem excogitandi lumen quoddam spirituale in *viatoribus* à lumine fidei diversum, eoque clarius & excellentius: cùm enim in omnibus fidelibus sit lumen fidei, fatendum est in Doctoribus & Pastoribus esse lumen quoddam clarius fide, cujus beneficio altiorem habent (ut loquitur *Durandus*) cognitionem de credibilibus, quàm per fidem.

3 Prima ratio hujus sententiæ peti solet ab *Augustini* testimonio super illis verbis *Iohan. 1. vers. 9. erat lux vera, &c.* ubi dicit, aliud esse lumen *ad credendum*, aliud *ad intelligendum*: item lucem increatam illuminare homines duplici lumine, *parvulos* quidem *lumine fidei*, quo nutriuntur ut lacte: *Majores* autem *lumine sapientiæ*, quo ut solido cibo vescuntur. Secunda ratio est hæc: necesse est propter bonum publicum Ecclesiæ, ut aliqui in eâ sint qui possunt fidem defendere, simpliciores instruere, & Ecclesiæ hostes confutare. Hoc autem non potest fieri per solum lumen fidei, seu per eam solam

cognitionem DEI quæ est omnibus fidelibus communis, sic enim quivis è fidelium cœtu possit ista munia obire: Ergo oportet in *Majoribus* esse aliquod lumen clarius fide, per quod habent de credibilibus altiorem quandam cognitionem.

4 Tertiò probant, quòd tale lumen non evacuet fidem, seu non ita repugnet fidei ut cum eo consistere nequeat; quia si tale lumen non posset stare cum fide, illud esset maximè propter oppositionem quæ videtur esse inter *Ænigma* fidei, & *claritatem* illius luminis: sed illud non impedit; quia contraria, licèt non compatiantur se in suis *excellentiis*, tamen (ut dicunt) compatiuntur se in *Esse remisso* & diminuto, seu (ut alii loquuntur) in gradibus remissis: fidei autem obscuritas, quamvis intensis gradibus opponatur claritati beatificæ visionis, & ob id cum eâ consistere nequeat; non tamen sic, sed in esse remisso contrariatur huic lumini de quo loquimur: & ideò licèt lumen gloriæ evacuet fidem, hoc tamen lumen eam non evacuat aut abolet.

5 Hanc suam doctrinam declarant exemplo aëris, qui noctu est simpliciter tenebrosus, & meridie est simpliciter illuminatus, sed mane est partim illuminatus partim tenebrosus, nec tenebræ depelluntur totaliter ante horam meridianam: sic gloria quasi lumen meridianum totaliter expellit tenebras fidei: sed lumen hoc

Doctorum

Doctorum est quasi lumen auroræ, quod non depellit tenebras fidei, nec expellitur per lucem meridianam gloriæ, sed potius perficitur. Appello autem lumen gloriæ, lumen meridianum, quia cæcitas naturalis est quasi *densissimæ tenebræ*, lux fidei est quasi *lux Lunaris*, lumen Scholasticum quasi *lux matutina*, & lumen gloriæ quasi *splendor lucis meridianæ*.

6 Hæc est sententia quorundam Theologorum *Sententiariorum*; contra quam *Durandus* fusè disputat: Ego autem fine longiori disquisitione meam sententiam, de medio hoc lumine, duabus aut tribus assertionibus proponã: prima sit hæc; *lumen illud quod vocant medium inter lumen fidei & lumen gloriæ, quatenus extendit se ad plura credibilia quàm fides Laicorũ, non est aliquid à fidei lumine distinctum*; sed est perfectior quidam gradus fidei, vel (ut alii loquuntur) extensio quædam fidei.

7 Secunda assert. *Lumen prædictum, quatenus est defensivum & explicativum articulorum fidei, non est vera & propriè dicta scientia*, ut benè probat *Durandus*: quia omnis scientia propriè dicta resolvitur in principia evidentia, & per se nota: at notitia *Pastorum* & *Doctorum*, quam habent de rebus spiritualibus, non potest resolvi in principia per se nota, sed tantùm in principia naturaliter inevidentia, quæ spiritus Sanctus nobis in verbo patefecit.

8 Tertia asserit. *Lumen illud medium, non est species luminis intellectualis à tribus prædictis distincta, sed est complicatio quædam luminis naturæ & luminis fidei*, h.e. *Philosophiæ & Theologiæ:* nam per Philosophiam Theologiæ applicatam, articulos fidei explicamus, defendimus, confirmamus contra adversarios, eosque confutamus.

ART. VIII.

In quo solvuntur tres quæstiones.

Prima est, *An fides bene distinguatur in* infusam, & acquisitam?

Secunda est, *An fides sit certior ipsis scientiis?*

Tertia est, *Quid sit propriè* credere in DEUM?

1 BONAVENTURA, egregius interpres *Magistri Sententiarum*, in *lib.* 3. *Dist.* 23. *Art.* 2. *quæst.* 2. asserit duo esse requisita ad habitum fidei: primò, ut intellectus instruatur de credibilibus. Secundò, ut inclinetur & inflectatur ad assentiendum illis articulis, qui credendi sunt: aliud enim est, *scire quid dicatur* in aliquo Scripturæ textu; aliud est, *scire verum esse id quod ibi dicitur*: Ethnicus enim, aut infidelis, scire potest quid dicatur in historiâ Mosaica aut Evangelicâ; at non potest scire verum esse illud

illud quod ibi dicitur, niſi intellectus ejus à DEO moveatur ad aſsentiendum. Quamvis igitur fides ſit quid *acquiſitum* quoad illam *informationem mentis de credibilibus* (eſt enim ex auditu, *Rom.* 10.) eſt tamen quid merè ſupernaturale, & *infuſum*, ſi conſideretur ſecundùm illud quod in ea eſt præcipuum, h.e. *inclinationem mentis ad aſſentiendum.*

2 Cùm fides propriè dicta ſit DEI donũ, & non quid à nobis ipſis acquiſitum, vix ſatis commoda videtur illa fidei diſtinctio in *infuſam* & *acquiſitam*; niſi vel dicamus, illam non eſſe diviſionem fidei in duas diverſas ſpecies, ſed potius eſſe diſtinctionem unius & ejuſdem fidei in duas ejus conſiderationes: nam pro diverſa conſideratione, fides eſt & quid acquiſitum, & quid infuſum, ut jam dictum eſt: vel dicamus fidem latè accipi pro quovis aſſenſu, quo aſſentimur S. Scripturæ: talis enim aſſenſus eſt duplex; quia quidam ei aſſentiuntur, moti humanâ perſuaſione, h. e. propter amorem & reverentiam quo proſequuntur dicentem, vel propter rationes & argumenta: & horum aſſenſus à *Bonaventura* dicitur fides acquiſita, latè videlicet accepto nomine fidei: alii verò aſſentiuntur, quia primæ veritati tanquam certiſſimo fundamento innituntur, & horum aſſenſus eſt fides infuſa, propriè q; appellatur fides.

3 *Bonaventura* comparans fidem & ſcien-

tias Philoſophicas quoad certitudinem, diſtinguit certitudinem in *certitudinem cognitionis* ſeu ſpeculationis, & *certitudinem adhæſionis*, dicitque fidem eſſe certiorem ſcientiis certitudine adhæſionis, quæ præcipuè reſpicit voluntatem; non verò certitudine ſpeculationis, quæ ad intellectum pertinet: dicit eam eſſe certiorem certitudine adhæſionis, *quia fideles Chriſtiani nec argumentis, nec tormentis, neq; blandimentis, adduci poſſunt & inclinari* (verba ipſius ſunt) *ut veritatem quam credunt, vel ore tenus negent: quod nemo peritus alicujus ſcientiæ faceret, ſi acerrimis tormentis cogeretur ſententiam ſuam de concluſione aliqua Geometrica aut Arithmetica retractare: ſtultus enim & ridiculus eſſet Geometra, qui pro ſua ſententia in controverſiis Geometricis mortem auderet ſubire, niſi in quantum fides dictat non eſſe mentiendum.*

4 Verùm quicquid dicat *Bonaventura*, fides eſt certior ſcientiis, tum certitudine cognitionis, tum certitudine adhæſionis: idque quia certitudo cognitionis oritur ex certitudine fundamenti, quo nititur intellectus noſter cùm aſſentitur alicui propoſitioni: fundamentum autem quo nititur aſſenſus fidei eſt DEI veritas & authoritas, quæ eſt longè certius fundamentum quàm humana aliqua ratio. Interim ſi improprie accipiatur certitudo cognitionis, pro firmitate aſſentiendi quæ opponitur hæſitationi

&

& dubitationi, non negandum est scientias esse fide certiores: scientia enim sæpe tam firma est, ut excludat omnem dubitationem; quod non semper verum est de fide: quamvis enim non deficiat fons ille aquæ salientis in vitam æternã, non tamen putandum est virtutem hanc semper inoffenso tenore, extra omnem formidinis aleam stadium suum decurrere; sed potius perpetuam ei luctam cum diffidentia esse, ingenuè confitendum est.

5 Clarissimus TILENUS *Syntag. part. 2, Disp. 43. Thes. 5.* distinguit certitudinem in *evidentem, & non evidentem*: illam dicit esse eorum quæ vel rationis vel sensûs lumine videntur: cujusmodi sunt prima principia, & conclusiones evidenter ex illis deductæ, ac deinde ea quæ experientiâ magistrâ didicimus: istam vult esse eorum, quæ testis veracis affirmatione nituntur: unde fit ut quo major est authoritas testis, eo certior ac firmior sit assensus credentis: hinc colligit ea quæ divino testimonio, cujus summa est authoritas, nituntur, summam quoq; gignere certitudinem, ac respectu hujus causæ quæ nec fallere nec falli potest, longe certiora esse ea quæ credimus, quàm quæ rationis humanæ ductu aut lumine scimus.

6 Tertia quæstio in titulo proposita, est, quid sit *credere in DEVM*, & quo modo differat ab eo quod est *credere DEVM*, & *credere DEO*.

P. Lombardus, Lib. 3. Sent. Dist. 23. hæc explicans, sic ait; *Credere* D E O, *est credere vera esse quæ loquitur: credere* D E V M, *est credere quòd ipse sit* D E V S: *& credere in* D E V M, *est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris eius incorporari.* Hanc distinctionem Magistri probare non possum, quia ex ea sequitur, *credere in* D E V M esse actum & charitatis & fidei, quod est absurdum, cùm diversorum habituum diversi sint actus.

7 Quare dicendum videtur, *credere in* D E V M in hoc differre ab eo quod est *credere* D E O, quòd *credere* D E O *sit fidem ei adhibere, quatenus simpliciter aliquid narrat:* credere verò in D E V M, *sit fidem ei adhibere quatenus aliquid promittit, seu assentiri ejus promissionibus, idq; cum triplici hac persuasione*; Primò, *quòd non similet, aut hypocriticè agat*, ut solent homines, sed quòd revera velit beneficium illud in te conferre. Secundò, *quòd etiam possit præstare id quod pollicitus est*, imò quòd ita possit ut à nullâ validiori potentiâ impediri queat. Tertiò, *quòd consilium mutare nesciat*, adeoque quòd revera daturus sit id quod pollicitus est. Vnde patet, quamvis fidem adhibeamus homini aliquid promittenti, nos non posse dici *credere in hominem*, nullam enim ex his tribus persuasionibus de homine habere possumus.

ART. IX.

ART. IX.

Refellitur Sententia Nicolai Grevinchovii, *dicentis habitum fidei non esse infusum, sed acquisitum.*

1 GVLIELMUS AMESIUS, in sua rescriptione contracta ad responsum *Nicolai Grevinchovii, cap.* 10. probat contra eum aliosque Remonstrantes, habitum fidei esse à DEO infusum, & non à nobis ipsis per crebros & frequentes actus credendi acquisitum: *Grevinchovius* enim, licèt ultrò fateatur fidem actualem seu actus credendi non à natura, sed à speciali DEI gratia provenire, negat tamen causam talium actuum esse fidem habitualem, seu habitum fidei à DEO infusum: sed contrà asserit per crebros fidei actus à speciali DEI gratia provenientes, tandem in nobis produci fidem habitualem; quemadmodum per crebros actus justitiæ & liberalitatis in nobis producuntur justitiæ & liberalitatis habitus.

2 Hæc sententia *Nicolai*, non solùm est contraria doctrinæ Scholasticorum, & Moderatorum Theologorum, tum Pontificiorum tum Evangelicorum, qui unanimi consensu virtutes Theologicas, habitus infusos vocant; sed etiam

variis

variis iisque inevitabilibus incommodis est exposita.

3 Primò enim illi qui per verbi prædicationem, & internam S. Spiritûs efficaciam recèns conversi & renati sunt, vel habent solum actum fidei, vel & habitum & actum: si posterius est verum, habetur propositum: si prius, sequetur totum illud per quod renatus à non renato differt, ad actus, adeoque ad evanidum quid & instabile esse referendum: actiones enim nostræ non sunt permanentes, sed citò transeunt & evanescunt. Respondet *Grevinchovius*, *illud per quod renatus à non renato differt, non totum, sed maximâ sui parte ad actus esse referendum*: quæ quidem responsio quatenus asserit totum illud, per quod renatus à non renato differt, ad actus non esse referendum, manifestè ipsius doctrinam destruit: si enim renatus aliquâ aliâ ratione à non renato differt, necesse est ut in eo sit bonus aliquis habitus, vel completus vel inchoatus: eadem etiam responsio, quatenus maximam partem illius discriminis in actibus collocat, absurda est: quia cùm vetus homo constet habitibus permanentibus, cur non etiam & novus? quia item inde sequetur, statum gratiæ esse admodùm instabilem, & infinitis mutationibus obnoxium.

4. Secundò dictum illud, *sine fide impossibile est placere DEO*, 11. *ad Hebræos*, *vers.* 6. vel

6. vel intelligendum est de habitu, vel actu fidei: si de habitu, habetur propositum; inde enim apertè sequitur, neminem posse esse in statu gratiæ, qui habitu fidei caret, & per consequens omnes renatos, ubi semel conversi & in statu gratiæ sunt constituti, illo habitu esse præditos: si de actu credendi intelligendum sit, sequetur renatos cùm dormiunt & actu non credunt, DEO displicere, & in statu gratiæ non esse.

5. Tertiò, sic argumentatur *Amesius*, si homines recèns vocati & conversi, non sunt præditi habitu fidei, sed tantùm actus habent, quomodo possent in gratiâ persistere vel unâ nocte, dum nihil agunt. Respondet *Nicolaus*, dormientes esse planè fide destitutos, & tamen persistere in gratia, h. e. dilectione DEI: Hanc responsionem non immeritò absurdam judicat *Amesius*: primò, quia nemo sine fide in gratia persistere potest, nam sine eâ impossibile est placere DEO. Secundò, fidelem unâ cum veste fidem exuere, *Nicolai* somnium est: multi enim viri pij dormientes exspirarunt: si fidem tum non habuerunt, de eorum salute actum est: plura vide apud *Amesium*, *cap.* 10. istius Tractatûs.

6. Pro sua sententia varia affert argumenta *Nicolaus*, quæ tamen nullius ponderis sunt. Prima objectio: per verbi prædicationem non infunditur

infunditur habitus fidei, ſed tantùm producitur actus: Ergo actus præcedit habitum. Reſpond. per verbum, & ſpiritûs operationem, tanquam per cauſas inſtrumentales, produci ipſum fidei habitum, quamvis ſufuſio iſtius habitûs ſoli DEO aſcribenda ſit: verbum enim producit iſtum habitum præparando, DEVS verò infundendo. Secunda ob. DEVS in verbo ſuo primò exigit à nobis fidei actum, non verò habitum. Reſpondet *Ameſius*, primò exigi arborem bonam, poſtea fructus bonos. Tertia ob. ſi habitus fidei in nobis producitur ante actum, nos priùs ſumus fideles quàm actu credamus, quod abſurdum eſt. Reſpondet idem, nos eſſe fideles actu primo (ordine naturæ, non temporis) priuſquam actu ſecundo credamus; hoc eſt, habitum fidei à quo fideles denominamur, non tempore ſed naturæ ordine, præcedere actum fidei; quod nemini videri debet abſurdum. Vide cetera in Tractatu *Ameſii, cap.* 10.

ART. X.

An fides actualis aut habitualis infantibus inſit, aut ineſſe poſſit.

1. ASſertio prima: *Non eſt impoſſibile, abſolutè loquendo, fidem tum actualem, tum habitualem*

habitualem infantibus ineſſe. De fide habituali res eſt manifeſta: nam infantes, in ſtatu integritatis, nati fuiſſent habitibus originalis juſtitiæ ornati, ut docent non ſolùm *Sententiarii*, *Lib.* 2. *Sent. Diſt.* 20. verùm etiam *Evangelici* Theologi, cùm differunt de primo hominis ſtatu, quem *integritatis* vocant: unde patet manifeſtè, habitus fidei, ſpei, & charitatis, etiam nunc ijs ineſſe poſſe: quia quicquid olim poſſibile fuit, etiam nunc eſſe poteſt, modò reſpiciamus potentiam DEI abſolutam.

2. Fidem etiam actualem, ſeu actum credendi, ijs poſſe ineſſe, facilè probatur exemplo *Ioannis Baptiſtæ*, qui *Lucæ* 1. *verſu* 24. dicitur exultaſſe in utero matris, ἐν ἀγαλλιάσει, in gaudio: Ergo cognovit DOMINI ſui præſentiam, & proinde infans poteſt actu intelligere: ſi autem infans poteſt actu intelligere, ſeu uti ratione; poteſt actu credere: fateor quidem hoc factum eſſe ſingulare, & proinde neminem ex eo poſſe colligere generalem hanc concluſionem, quòd videlicet fides actualis omnibus electis infantibus inſit: veruntamen evidenter probat, DEUM arcanam & mirificam ſuam vim, in infantibus poſſe exerere, fide actuali eos donando, quamvis ordinariè nihil tale fiat.

3. Aſſertio ſecunda: *Non eſt probabile, infantes habere fidem actualem, ſeu actum credendi.*

di. Hæc assertio non contradicit præcedenti; quia ibi docetur quid possit fieri, hîc verò quid actu & ordinatiè fiat. Probatur igitur hæc assertio: primò, quia Scriptura, *Deut. Cap. 1. Vers. 39. & Ionæ Cap. 4. Vers. 11.* testatur, infantes non cognoscere discrimen boni & mali; & proinde actuali intelligentiâ & cognitione carere: Fides autem actualis sine actuali cognitione esse non potest. Secundò: si fides actualis est in infantibus, ea vel oritur ex auditu verbi, vel ex internâ revelatione immediatè à solo DEO factâ. Prius admitti non potest; quia si verbum DEI intelligerent, attentè & reverenter auscultarent: cujus contrarium fieri videmus. At neque posterius, quia modus ille patefactionis, est extraordinarius & rarissimus: Fides enim est ex auditu, *Rom.* 10. si autem omnes electi infantes haberent fidem actualem ex sola DEI revelatione ortam, modus ille jam esset ordinarius. Tertiò: sententia illa, quæ ascribit fidem actualem infantibus, non solùm displicet *Nazianzeno, Augustino, & Scholasticis*, sed etiam *Calvino, Bezæ, Iunio, Tileno, Pareo*, aliisque omnibus Orthodoxis Theologis, solo *Luthero* excepto, qui multis in locis eam sententiam profitetur.

4. Assertio tertia: *Omni probabilitate caret, & manifestam contradictionem implicat ea sententia, quæ tribuit infantibus motus sanctos intellectûs*

tellectûs & volũtatis, ſine actuali cognitione: motus (inquam) ſimiles motibus ſeu actibus fidei & charitatis, ſed ab iis verè diverſos. Dico eam implicare contradictionem, quia motus ſeu operationes intellectûs & voluntatis, non poſſunt eſse ſine cognitione: quid enim aliud eſt motus intellectûs, quàm *intellectio*, ſeu actus intelligendi & cognoſcendi? Nam intellectus non poteſt aliter moveri, & operari, quàm intelligendo; ſicut nec oculus, niſi videndo; & ſenſus auditûs, niſi audiendo. Similiter omnis motus aut actus voluntatis, eſt *volitio*: omnis autem volitio præſupponit objecti cognitionem actualem; quia *ignoti nulla cupido eſt*. Hæc ſententia tribui ſolet Theologis congregatis in Concilio *Wittenbergenſi*, anno 1536. item *Martino Chemnitio*, qui in 2. parte examinis *Concilii Tridentini*, ad canonem 13. Seſſionis 7. profitetur ſe amplecti eam ſententiam de regeneratione infantum baptizatorum, quæ explicata eſt in formulâ concordiæ inter Theologos *Saxoniæ* & ſuperioris *Germaniæ*, anno 1536.

5. Quarta aſsert. *Qui dicunt fidem ineſſe infantibus actu primo, non ſecundo; item iis ineſſe ſemen, germen, aut radicem fidei: illi neceſſe habent confiteri, primò ſe per ſemen fidei non intelligere* D E I *verbum: quia videlicet infantes illud non audiunt & intelligunt. Secundò ſe non*

intelligere

intelligere aliquid à fide diversum, sed habitum fidei saltem incompletum, & inchoatum: quod quidem apertè profitetur clarissimus *Iunius*, in Thesium suarum opusculo, *Disput. 51. Thes. 8.* Prima ratio est, quia sicut conditio requisita in fœdere operum, est actionũ nostrarũ perfectio, ita etiam conditio requisita in fœdere gratiæ, est fides in IESUM CHRISTUM DOMINUM nostrum: Ergo necesse est hanc conditionem omnibus fœderatis inesse: Infantes autem fidelium sunt fœderati, id est, ad fœdus & ad Ecclesiam pertinent, ut docent nostri Theologi, contra *Anabaptistas*: Ergo necesse est fidem aliquam iis inesse, hoc est, vel actualem vel habitualem: nemo enim est fœderatus, nisi is in quo invenitur conditio requisita in fœdere. At semen illud fidei, si sit aliquid diversum à fide, non est conditio requisita in fœdere gratiæ, nisi fortè quis dicere velit, DEUM aliud fœdus gratiæ pepigisse cum Infantibus, aliud cum adultis: si enim diversa sit conditio requisita in fœdere, ipsa fœdera sunt substantialiter diversa: substantia enim seu essentia fœderis posita est in conditionibus, quas ille stipulatur qui fœdus sancit.

6 Præterea peccatum originis in baptismo tollitur *quoad reatum*, ut docent tum *Pontificij*, tum *Evangelici* Theologi; & proinde Infantes electi cùm baptizantur, justificantur: nam justificatio

justificatio posita est in peccati remissione, per quam ejus reatus tollitur: si autem justificantur, aliquam fidem habent, hoc est, vel habitualem vel actualem; solâ enim fide justificamur.

7. Quinta assertio: *Sententia prædicta, quæ attribuit Infantibus solum habitum fidei, eumque vel completum, vel inchoatum, omnibus reliquis præferenda videtur*; tum quia eam amplectuntur ferè omnes Orthodoxi Theologi; tum quia communis sententia omnium Theologorum, de sublatione peccati originalis *quoad reatum* in baptismo, hoc est, de justificatione Infantum baptizatorum, nobis necessitatem affert eam amplectendi.

8. Vt autem hoc manifestum fiat, tenentur hæc fundamenta: primo, *peccatum originale Infantum electorum in baptismo tollitur, quoad reatum*: h. e. iis remittitur, & proinde ipsi justificantur: nam justificatio posita est *in remissione peccati, et imputatione justitiæ Christi*. Secundo: *non putandum est, Infantibus in baptismo remitti solum originale peccatum, & postea remitti iis actualia*, quia remissio peccati, seu justificatio non iteratur, sed ut docent Orthod. Theol. est *unus & individuus actus*, & semel tantum fit. Tertiò, *si in prima infantia electi justificantur, necessariò etiam eâdem ætate vocantur*, nam vocatio ordine naturæ præcedit justificationem, ut patet ex *gradatione Paulina*, *Rom.* 8, *vers.* 30.

quam meritò *catenam salutis* vocare possumus. Dicet aliquis: illa gradatio *Paulina*, intelligenda est de adultis, & non de Infantibus, nam adulti priùs vocantur, quàm justificantur: Infantes verò priùs iustificantur, & postea cùm verbum audiunt & intelligunt, vocantur. Sed videant illi qui hoc objiciùt nobis, an probabile sit, *ordinarie & plerumque, in procuranda electorum salute, ordinem & progressum in gradatione* Paulinâ *propositum, violari*: si enim omnes, qui in orbe Christianò nascuntur, atque adeo primâ ætate baptizantur, primò iustificantur, & post aliquot annos vocantur, manifestè sequetur, ordinariè & plerumq; violari illum ordinẽ.

9. His positis sic argumentor: Electi Infantes vocantur: Ergo habent fidei habitum, saltem incompletum. Ratio sequelæ est, quia nulla vocatio efficax est, sine renovatione intellectûs & voluntatis; nulla autem renovatio harum potentiarum animi esse potest, sine infusione bonorum habituum: si autem infunditur ullus habitus, fides infunditur; tum quia mens Infantis, non minùs est capax fidei, quàm aliorum habituum; tum quia nullus alius habitus est tam necessarius ad Infantis iustificationem: nam sine eo impossibile est DEO placere: præterea (ut docet clariss. *Trelcatius*) ipsa forma & essentia internæ vocationis (quæ sola in Infantibus esse potest) posita est in illuminatione & in-

for-

formatione mentis, per fidem in CHRISTUM. Vnde D. *Paræus in Comment. suo, in 8. ad Rom. vers.* 30. de vocatione loquens, appellat eam, *vocationem ad fidem in* CHRISTUM. Et *Ambrosius* dicit, *vocare nihil esse aliud, quàm compungere ad fidem.*

10. Clarissimus *Beza*, quamvis in *Conf. Cap:* 4. *Art:* 48. fidei semen & germen Infantibus tribuat, tamen in aliis Libris manifestè asserit, electos Infantes in baptismo, *non suâ, sed piorum parentum fide interveniente, justificari*: nam in *Quæst: part:* 2. *Resp: ad Quæst:* 128. asserit, *electis Infantibus conferri insitionem in fœdus, & peccati peccantis remissionem, & proinde justificationem, interveniente fide piorum parentum.* Idem etiam docet *Resp: ad Acta Colloquii Mompelgartensis*, Tract: de Baptismo, ubi asserit *Infantibus propriâ fide destitutis, sic tribui fidem alienam, ut tamen pro suâ, in illis ex* DEI *pacto censeatur*: item, *Infantes sicut alieno simul & suo peccato peccatores sunt, sic alienâ simul & suâ fide justificari*; suâ (inquam) per *imputationem*: eandem ferè sententiam explicat & defendit doctiss: *Cussander, Lib: de Bapt: Infantum, explic: prop:* 3. item multi Patres, viz: *Justinus, Ambrosius, Augustinus, Bernardus*, & alii.

11. Hanc sententiam libenter amplecterer, ad vitandas difficiles illas quæstiones, de fi-

de parvulorum, quæ hoc noſtro ſæculo agitari ſolent; niſi perciperem eam aliis longè gravioribus difficultatibus eſſe expoſitam. Primò enim, ſi Infantes juſtificati in baptiſmo, omni fide ſunt deſtituti, nondum efficaciter ſunt vocati; & ſic juſtificatio, ordinariè, h. e. reſpectu omnium qui in Eccleſia viſibili naſcuntur, vocationem præcedet. Ratio connexionis eſt, quia nulla vocatio efficax eſſe poteſt, ſine mentis renovatione per fidei habitum, ut ſuprà oſtenſum eſt: Infantes autem, ex hac ſententiâ, nullam fidem habent: probatur autem vocationem non poſſe ſequi juſtificationem, ſed neceſſariò eam præcedere; quia vocatio eſt mutatio & tranſlatio hominis de ſtatu miſeriæ & corruptionis, ad ſtatum gratiæ: illi autem qui juſtificati ſunt, non poſſunt mutari & transferri à ſtatu miſeriæ ad ſtatum gratiæ, quia jam in ſtatu gratiæ, non verò in ſtatu miſeriæ ſunt: unde Propheta, *Pſal: 32. verſ. 1. Beatos illos* prædicat *quorum peccata remiſſa ſunt*: Ergo nemo poſt juſtificationem poteſt vocari ad gratiam & ſalutem.

12. Secundò, ex hac ſententiâ ſequi videtur, ordinarium modum juſtificandi, eſſe per aliquam fidem, ac proinde ordinariè & plerumque cauſam tum *meritoriam* tum *inſtrumentalem* noſtræ juſtificationis, non in nobis exiſtere, ſed eſſe externam & imputatam: nam ex hac ſententia, omnes electi, qui in viſibili Eccleſia naſcuntur,

naſcuntur, ſeu in orbe Chriſtiano, primâ ætate iuſtificantur, viz: in baptiſmo, non ſuâ, ſed piorum parentum fide interveniente, quicquid autem verum eſt de iuſtificatione eorum qui in Eccleſia naſcuntur, illud verum eſt de iuſtificatione ordinariâ, ſeu de ordinario modo iuſtificandi.

13. Tertiò, hæc imputatio alienæ fidei doctiſſ. viris diſplicet, imò ipſe *Beza* Reſponſ: ad quæſt: 126. part: 2. eam quodammodo damnat. Verba eius hæc ſunt: *Nequaquam tamen dixerim quempiam alienâ fide ſervari: ne quis hoc perinde accipiat, ac ſi dicerem parentum fidem Infantibus imputari, quaſi alienâ fide credentibus, quod quidem non minùs falſum & abſurdum fuerit, quàm ſi dixerim quempiam poſſe alienâ animâ vivere, aut alterius ſapientiâ ſapere.*

ART. XI.

An in Dæmonibus ſit fides?

1. BOnaventura in 3. *Sent. Diſt.* 23. *quæſt.* 3. ſuam ſententiam proponit de fide Dæmonum, his verbis: *habent (inquit) aliquam notitiã de articulis, & credibilibus, quæ quidem dici poteſt fides, ſive credulitas, propter hoc, quòd non eſt in iis viſio aperta: & illa quidem cognitio,*

partim fuit iis indita in creatione, partim verò ex acquisitione. A prima enim creatione suâ habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad Trinitatem, quæ etsi non meretur dici fides, imò potius cognitio contemplationis, propter obscuritatem Ænigmatis; peccato tamen superveniente, & Ænigmate subsequente, illa cognitio meruit dici fides, cùm sit cognitio Ænigmatica de his quæ spectant ad divina. Quantum autem ad articulos spectantes ad humanitatem, est in iis cognitio acquisita per multa miracula & experimenta, & quasi extorta necessitate quâdam. Dum enim vident Dæmones apertè, eos qui in CHRISTUM credunt, non posse damnari; manifestâ ratione coguntur credere, fidem credentium in CHRISTUM veram esse; & per hoc, ex consequente credunt omnia esse vera, quæ credunt Christiani, & ex hoc etiam perterrentur: propter quod dicit *Iacobus, quòd credunt & contremiscunt.* Hæc *Bonaventura.*

2. Ex his verbis patet, *Bonaventuram* non tribuere Dæmonibus fidem historicam propriè dictam, hoc est, assensum historicum nitentem DEI authoritate; sed potius assensum historicum experimentalem, h. e. nitentem experimentis & miraculis: notitia autem experimentalis, non tam ad fidem, quàm ad scientiam pertinet: eandem sententiam profitetur *Estius,*

Lib.

Lib. 3. *Sent. Dist.* 23. verba eius hæc sunt.

3. *Est* (inquit) *ad veram seu Christianam fidem necessaria quadam voluntatis propensio, quâ intellectus ducatur ad assentiendum eius verbis, in cuius authoritate animus credentis acquieſcit. Habet enim hoc proprium, actus fidei, ut ex quadam humili reverentiâ erga Deum, intellectus cedat ejus authoritati, ſuſcipiatque firmiter atque obedienter ea quæ dicuntur, etiamſi ratione minùs ea perſpiciat. Si quis ergo, vel ſolâ naturalis ingenij ſagacitate, vel argumentorum aut rationum pondere, vel ſenſûs aut etiam ſignorum tantùm evidentiâ convictus, aſſentiatur iis, quæ ſunt divinitùs revelata, non pertinebit ille aſſenſus ad fidem Chriſtianam. Cùm igitur Dæmones ſubtilitate ſuæ naturæ, & perſpicacitate ingenij, videant dogmata religionis noſtræ non repugnare veritati ſibi naturaliter cognitæ, videantque eadem confirmari miraculis, naturæ facultatem, ipſis probè perſpectam, excedentibus, experiantur denique virtute Chriſtianæ doctrinæ plurimos è ſuo regno & poteſtate eripi, atque his ſimilibuſque adducti & victi, cogantur fateri veriſſimam eſſe religionis Chriſtianæ doctrinam: cùm nulla ſit in ijs alioqui erga veritatem divinam ſpontanea voluntatis ſubmiſſio atque obedientia; non poteſt illorum de rebus divinis aſſenſus, propriè fides appellari, ſed certa quædam cognitio, per experientiam, & rerum vel ſignorum evi-*

dentiam extortam.

4. Doctissimus *Pareus* contrariam sententiam amplectitur: nam *parte 2. explic. Catech. quæst.* 21. historicam fidem propriè dictam Dæmonibus tribuit, eamque sic describit: *Historica fides, est agnoscere & statuere quòd verum sit omne D E I verbum, &c. Idque propter ipsius D E I authoritatem, & asseverationem, de quâ nobis constat.*

5. Meritò igitur hîc quæri potest de assensu Dæmonum: *utrum nitatur D E I authoritate; an verò tantùm sit notitia experimentalis, per signorum evidentiam extorta.* Hujus quæstionis determinationem tribus assertionibus proponam.

6. Prima assertio sit hæc: *Dæmonum notitia, est vera & propriè dicta fides historica*: hoc est, nititur etiam D E I authoritate, & non tantùm experimentis, aut miraculis: ratio hujus assertionis est, quia illi persuasissimum habent. D E V M non posse mentiri, aut falsum dicere, ideoque necessariò assentiuntur toti verbo divino, propter ipsius D E I authoritatem.

7. Secunda assertio: *Fides historica electorum, hoc est, notitia sacræ Scripturæ, quam electi habent, quatuor modis differt à fide Historica Dæmonum*: primò, quòd fides historica electorum, habeat adjunctam fiduciam & applicationem

nem gratuitæ remiſſionis peccatorum, fides verò Dæmonum adjunctam habeat contrariam perſuaſionem; hoc eſt, applicationem juſtitiæ vindicativæ. Secundò, quòd illorum fides, ut poſtea patebit, oriatur ex piâ inclinatione & reverentiâ voluntatis, ducentis intellectum captivum in obſequium ſeu obedientiam CHRISTI; horum verò fides conjunctam habeat voluntatis rebellionem, quâ cuperent falſum eſſe id quod verum fateri coguntur. Tertiò, quòd electi veritatem, cui aſſentiuntur, ament; Dæmones verò eam odio proſequantur. Quartò, quòd illorum aſſenſus adjunctum habeat gaudium, & delectationem: hi verò non ſine dolore & horrore aſſentiantur.

8. Tertia aſſertio: *DEUS Opt: Max: hanc fidem hiſtoricam, Dæmonum intellectui in primâ creatione indidit, ramq; poſt Dæmonum lapſum non ſuſtulit aut abolevit, ſed conſervavit, non quidem ut hoc pacto eos ornaret & bearet; ſed contrà ut miſeriam ipſorum augeret:* iræ enim, potentiæ, & juſtitiæ divinæ conſideratio, damnatis illis ſpiritibus ineffabilem horrorem & pavorem incutit.

9. Quarta aſſert. *Fides Dæmonum, ante ipſorum lapſum, fuit ſplendida & inſignis virtus, nunc verò mali & vitioſi habitûs rationem habet;* non *per ſe*, ſed *per accidens* (ut benè notat *Pareus*) quia videlicet conjunctam habet rebellionem

rebellionem voluntatis, & immane odium, quo veritatem cognitam prosequuntur.

ART. XII.

An fides fuerit in anima CHRISTI? *& an sit in Sanctis, qui jam in cœlum translati, habent* DEI *cognitionem* faciale, *ut loquuntur Scholastici.*

AD primam quæstionem, in titulo propositam, sic respondetur: Quamvis in CHRISTO, durante statu humiliationis, fuerat eximia Charitas, qua & DEUM diligebat propter se, & humanum genus propter DEUM, habitus tamen fidei, & spei, in eo nunquam fuerunt; quia fidei obiectum est DEUS *quatenus obscurè & in anigmate cognoscitur*: spei verò obiectum est etiam DEUS, *quatenus nondum habetur, sed expectatur*: CHRISTUS autem à primo instanti suæ conceptionis, fuit non solùm *viator*, sed etiam *comprehensor*, & clarè vidit DEUM, resque divinas, quæ sunt obiectum fidei & spei.

2. Ob. prim. Omnes virtutes fuerunt in anima CHRISTI: at fides est virtus: item in CHRISTO fuit plenitudo omnis gratiæ. Respond. illud intelligendum esse de illis virtutibus

bus & donis, quæ eius statui non repugnant, fides autem & spes imperfectionem quandam important, contrariam isti perfectioni quam CHRISTUS ab initio habuit: non autem mirum videri debet, quòd istas virtutes CHRISTO non tribuamus, nam virtus pœnitentiæ, propter adiunctum malum CHRISTO non potest tribui. Ob. 2. Si CHRISTUS caruit fide, eius actiones fuerunt peccata, quicquid enim non fit ex fide est peccatum, *Rom.* 14. *vers. ult.* Respond. fidem ibi accipi pro firma persuasione & notitiâ, quâ certò scimus, ea quæ agimus esse honesta & bona, h. e. voluntati divinæ conformia, & consentanea: fides autem sic accepta, CHRSTO tribui & debet, & potest: nam perfectam obedientiam legi divinæ præstitit.

3. Obiici etiam solent Scripturæ testimonia, quæ spem & fiduciam CHRISTO attribuunt, ut *Mat.* 27. de CHRISTO dicitur, *speravit aut confidit in DOMINO; eripiat eum:* vel, ut habetur *Psal.* 22. *devolvit se ad IEHOVAM: liberet eum.* Item 2. *Heb. ero confidens in eum.* Resp. 1. ex *Augustino*, multa dici in *Psalmis* de persona CHRISTI, non respectu sui, sed respectu membrorum eius, cum quibus unum corpus constituit. 2. non est negandum, fuisse spem in CHRISTO, respectu eorum quæ nondum adeptus erat, ut

resurrectionis,

resurrectionis, glorificationis sui Nominis, & similium. Sed ea spes, quia DEVM ipsum ut principale obiectum non spectabat, sed alia quædam bona, vera quidem spes erat, non tamen fuit actus principalis virtutis huius Theologicæ, de qua hic disseritur: fides autem ei nullo modo inesse potuit, quia plena rerum cognitio, qua omnia in VERBO clarè videbat, fidem omnino tollit.

4. Ad poster. quæst. in titulo propositam, unanimi consensu Respondent *Sententiarii*, fidem in beatis non posse inveniri, quia viz: DEVM in ænigmate non cognoscunt, sed facie ad faciem: at longè probabiliùs *Amandus Polanus*, *Synt: Theol: Lib. 9. Cap: 6. Quæst. 4. de subjecto fidei*, dicit fidem aliter se habere in iis, quæ ad essentiam beatitudinis cœlestis pertinent, aliter in adiunctis ipsius: *Essentiam* (inquit) *beatitudinis, hîc fide credimus, in cœlo visione evacuatur fides: adjuncta verò quædam eius, & hîc & illic creduntur, nempè quia visioni beatæ minimè adversantur.* Et infrà dicit, ea quæ à beatis creduntur, partim esse præterita, ut sunt omnia quæ CHRISTVS fecit nostrâ causâ; partim futura, ut sunt secundus CHRISTI adventus, resurrectio carnis, iudicium extremum, & Ecclesiæ perfectio.

5. Quia autem obiicere potuit aliquis, fidem

dem per visionem evacuari, seu fidem non posse illic esse, ubi est visio. Respondet *Polanus*, ubi est fides, ibi non esse visionem eius rei cuius est fides; hoc est, fidem & visionem beatorum non versari circa idem obiectum: eorum enim fides versatur circa præterita, & futura DEI opera; at visio versatur circa DEVM ipsum, & CHRISTVM incarnatum: unde patet fidem in *Patriâ* non evacuari quoad secundarium ejus objectum, licèt evacuetur quoad principale & primarium ejus obiectum, hoc est, DEVM.

6. Dicet aliquis *Polanum* gratis hoc asserere, & nullam suæ assertionis rationem adferre: Respond. hanc sententiam posse validissimâ ratione confirmari: vel enim dicendum est, notitiam, quam habent beati de præteritis & futuris, niti autoritate DEI, in Scriptura testantis ea aliquando fuisse aut fore; vel est dicendum, eos ista contemplari & intueri in VERBO, hoc est, secundâ personâ Trinitatis, tanquam in speculo: posterius admitti non potest, est enim *Pontificiorum* figmentum, in Ecclesiam invectum ad stabilienda mortuorum invocationem. Ergo dicendum est prius, videlicet eorum notitiam de præteritis & futuris, niti DEI authoritate, & proinde veram & propriè dictam fidem esse.

ART.

ART. XIII.

An rectè negent Remonstrantes, *Adamum ante lapsum habuisse potentiam credendi in* CHRISTUM.

1. THeologi Orthodoxi, *Arminianis* quærentibus, quo jure obedientia fidei à peccatoribus exigatur, quibus DEUS non vult dare vires credendi in CHRISTUM: Respondere solent, Deum in prima creatione *Adamo* dedisse fidei habitum, quo posset assentiri omni DEI verbo, & proinde Evangelio, si illud fuisset ei prænunciatum: hunc autem habitum, dicunt in *Adamo* esse à nobis amissum; ideóque cùm justitia non requirat, ut DEUS nobis continuò reddat, quæ culpâ nostrâ amittimus, ad æquitatem divinam in obsequio fidei exigendo demonstrandam, sufficere quòd non postulet nisi quod nobis aliquando dederit.

2. Hanc sententiam Orthodoxorum damnant & rejiciunt *Armin. in Apol. adversus art. resp. ad art.* 19. *Iohannes Arnoldus, in defensione sententiæ D. Iacobi Arminii, adversus ejusdem considerationem à Daniele Tileno editam, Cap.* 14. Item Theologi Remonstrantes citati & vocati ad Venerandam *Synodum Dordrechtanam*,

tanam, in defensione sententiæ suæ, circa quartum articulum *de gratia operatione*: verùm hi authores monent, non hic disputari simpliciter, an *Adamus* in DEVM potuerit credere; sed an potuerit in CHRISTVM credere: illud enim libenter concedunt, hoc pertinaciter negant.

3. Hanc quæstionem, non immeritò permagni esse momenti, & proinde diligentèr considerandam judicat insigne illud lumen & ornamentum Ecclesiæ Gallicæ, *Petrus Molinæus in Anat. Armin. cap.* 11. Vt igitur recto ordine in eâ explicandâ progrediamur, primò proponam & explicabo nostram sententiam de fide *Adami*. Secundò, eam rationibus confirmabo. Tertio, respondebo ad argumenta *Remonstrantium*.

4. Sententiam Orthodoxorum, de fide primorum parentum ante lapsum, assertionibus aliquot proponam, & explicabo. Prima assertio: *Adamus ante lapsum non solùm habuit Ethicas virtutes, sed etiam Theologicas, hoc est, fidem, spem, & charitatem*; his enim carere non potuit, absque manifestâ fælicitatis jactura, ut rectè monet Magnus ille *Tilenus*, *Synt. part.* 1, *Disp.* 33. Secunda assertio: *Adamus per illum habitum fidei, actu intelligebat ea sola, quæ tum ei erant patefacta, at per eundem intelligere potuit ea omnia quæ nos intelligimus, mo-*

dò illi patefacta fuissent. Tertia assertio: *potentia credendi in* CHRISTVM, *quam Adamo ante lapsum tribuimus, non fuit naturalis, sed habitualis*, hoc est, non fuit ipsa naturalis facultas intelligendi, ut autumat *Arminius*, sed fuit habitus supernaturalis à DEO infusus. Quarta assertio: *Illa potentia credendi in* CHRISTVM, *non potuit exire in actum, durante eo statu*: quia videlicet ejus actus repugnat isti statui. Quinta assertio; *Non tamen ideo cum* Arminio *dicendum est, potentiam illam fuisse impropriè dictam, & generalissimâ notione sumptam*: nam nemo dixerit potentiam videndi Solem, quam is habet qui est in tenebroso carcere, esse impropriè dictam potentiam, quia in actum educi non potest durante eo statu; est enim vera & propriè dicta naturalis facultas. Item nemo negaverit, *Adamum* ante lapsum habuisse propriè dictam facultatem, & potentiam legendi & intelligendi historiam *Mosaicam*, quamvis ea potentia durante eo statu in actum educi non potuit.

5. Hæc sententia sic explicata, facilè probari & confirmari potest: primò enim sic argumentatur *Tilenus*, *in Consideratione Declar. Arminianæ*: *Adamus* ante lapsum nec mentis cæcitate, nec cordis obduratione laboravit, quæ internæ causæ sunt impotentiæ credendi; sed mentem habuit lucidam, & affectus composi-

tos

tos: Ergo si Evangelium tum ei fuisset prænunciatum, potuit mente illius veritatem videre, & corde ejus bonitatem amplecti. Secundò, *Adamus* habuit potentiam credendi omni DEI verbo, seu tunc revelato, seu post revelando, item omni promissioni DEI, seu datæ, seu dandæ, in quo genere certa doctrina Evangelii etiâ continetur, Resp. *Ioh. Arn. Corv. Adamum* non habuisse potentiam credendi omni DEI verbo, seu tunc revelato, seu post revelando, sed tantùm habuisse potentiam credendi verbo legis revelato, & datæ promissioni legali: & addit *Tilenum* nullâ ratione posse probare contrarium: sed (siquid iudico) validum & nervosum est *Tileni* argumentum, nec difficile est probare illud quod ab eo asseritur, videlicet *Adamum* habuisse potentiam credendi omni DEI verbo, sive revelato, sive revelando: idque quia *Adamus* ante lapsum potuit ea omnia præstare, quæ lex, in eius corde scripta, exigebat: at ea exigebat promptitudinem ad credendum omni DEI verbo, sive revelato, sive revelando: Ergo potuit etiam credere illi verbo, quod nondum revelatum erat.

6. Ad hanc instantiam duobus modis respondere possunt *Remonstrantes*: primò enim dicent *Adamum* habuisse potentiam credendi omni DEI verbo etiam revelando, modò ejus excellentia & mysterium non excedat

mum illud lumen quo *Adamus* ornatus fuit: Evangelicæ autem promiſſiones excedere videntur lumen illud fidei, primorum parentum. Sed ſuprà ſublatum eſt hoc effugium: dictum enim eſt *Adamum* neque mentis cæcitate, neque cordis obduratione laborâſſe, quæ cauſæ ſunt impotentiæ credendi. Præterea ſicut is, qui novit omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, inducto quolibet particulari triangulo, virtute illius generalis cognitionis ſtatim iudicat illum habere tres angulos æquales duobus rectis: ſic etiam *Adamus*, qui perſuaſiſſimum habebat, omne DEI verbum eſſe fide dignum, & proinde credendum, virtute huius generalis perſuaſionis facilè potuit aſſentiri cuilibet verbo DEI, ſive legali ſive Evangelico.

7. Secundò reſpondere poſſunt, per retorſionem noſtri argumenti, ad hunc modum: *Adamus* non tenebatur credere Evangelio: Ergo non habuit vires hoc præſtandi: hæc argumentatio valdè infirma eſt. Primò enim conſequentia facillimè negatur, & negationis noſtræ ratio manifeſta adferri poteſt. Nam *Adamus* non tenebatur tum legere, intelligere, & credere hiſtoriam *Moſaicam*, attamen vires habuit hæc præſtandi. Secundò, antecedens illius Enthymematis, aliquo ſenſu falſum eſt, & proinde [illegible]quendum: non les menti *Adami* indita, quamvis

quãvis non actu & expresè, tamẽ virtute & implicitè præcipiebat fidei obedientiã in CHRISTVM, quia videlicet iubebat *Adamum* credere omni DEI verbo. Hac distinctione utitur clariss. *Molineus*, *Anat. Armi. Cap.* 11. sed ad difficultatem exhauriendam, ei alia addenda videtur, nam eorum quæ implicitè præcipiuntur iure naturæ, seu lege morali, alia *absolutè* præcipiuntur, alia *hypothetícè*: exempli gratiâ, primum præceptum Decalogi *expresè* prohibet cultum Idolorum, & cultum veri DEI præcipit *implicitè*, sed *absolutè*: quintum præceptum *expresè* præcipit officia inferiorum erga superiores, *implicitè* verò etiam præcipit officia horum erga illos; hoc est, latenter jubet nos liberos alere, instituere, tueri, iisque in futurum prospicere, sed *hypothetícè* seu ex hypothesi; hoc est, modò liberos habeamus. Sic *Adamus* virtute primi præcepti exigentis obsequium fidei, tenebatur credere Evangelio, sed *ex hypothesi*, hoc est, si Evangelium ipsi annunciatum fuisset. Hinc patet, quomodo distinguendum sit antecedens argumenti istius: vide *Molin:* loco prædicto.

8. Tertia ratio, seu probatio nostræ sententiæ sit hæc: Qui negant *Adamum* habuisse potentiam credendi in CHRISTVM, vel hoc negant, quòd tum non darentur promissiones Evangelicę, vel quòd absolutè non potue-

rint dari durante eo ſtatu: ſed neutra ratio ſufficit. Nam *Adamus* ante lapſum habuit potentiam (ut jam dictum eſt) legendi, & intelligendi hiſtoriam *Moſaicam*, quamvis ea hiſtoria durante illo ſtatu nec fuit, nec eſſe potuit in rerum natura; habuit etiam tum potentiam, tum habitum miſerendi & ſuccurrendi egenis, ut fatetur ipſe *Arnoldus*, quamvis tum neque fuit, neque eſſe potuit, durante illo ſtatu, miſeria aut egeſtas.

9. Pro ſuâ ſententiâ ſic argnmentatur *Arnoldus*: Quòd in primo ſtatu non fuit neceſſarium, quod fuit inutile, quod cum veritate præſtari non potuit, quod primo fœderi repugnat, & ad ſecundum fœdus pertinet, ad illud *Adamus* non accepit potentiam in primo ſtatu: ſed obedientia fidei in CHRISTVM eſt talis: Ergo, &c. Reſp. negando majorem, nam *ſuccurrere egenis*, item *legere, intelligere, & credere hiſtoriam Moſaicam*, in primo ſtatu neque fuerunt utilia, neque neceſſaria, neque tum præſtari poterant, imo repugnabant iſti ſtatui: attamen, fatente ipſo *Arnoldo*, homo ad hæc præſtanda vires habuit. Inſtabit *Arnold.* ergo hæc potentia fuit fruſtranea. Reſp. negando ſequelam: potentia enim illa credendi in CHISTVM reverâ fuit habitus credendi, & aſſentiendi omni verbo DEI: hic autem habitus, etſi durante illo ſtatu in illum particularem actum exire non

non potuit, in alios tamen actus isti statui convenientes educi poterat.

10. Ob. 2. Quod non præcipitur lege, sed Evangelio, ad illud præstandum non sunt datæ homini vires in primo statu, at fides in CHRISTVM non præscribitur lege, sed Evangelio. Resp: fidem in CHRISTVM aliter præcipi lege, aliter Evangelio: lege enim præcipitur, sed *implicitè* & *hypothetice*; Evangelio verò præcipitur *expressè* & *absolutè*: item lege præcipitur tanquam *opus bonum*, Evangelio verò præcipitur tanquam *instrumentum applicativum* meriti CHRISTI. Ob. 3. Qui non accepit vires, quibus si laberetur possit resurgere, ille non accepit vires Evangelio credendi si illud anunciaretur, sed *Adamus* non accepit tales vires: ergo. Respondet *Molineus*, *Adamũ* accepisse vires quibus à peccato resurgere potuit, si eas non perdidisset ipso ejus lapsu. Certum autem est, *Adamum* suo lapsu amisisse omnes habitus virtutum, quibus ante ornatus fuit. Et proinde etiam amisisse vires resurgendi.

ART. XIV.

An objectum fidei possit esse falsum.

1. NOn desunt, qui asserant objectum fidei posse esse falsum, & sæpenumerò ea laudabiliter credi, ac pro veris haberi, quæ revera falsa sunt: exempli gratiâ, dicunt nobis statuendum esse, DEUM *velle à nobis id fieri quod nobis præcipit, itemque velle à nobis omitti quod nos facere vetat. Et tamen* (inquiunt) *ille interim sæpè diversum vult*: hæc sententia nimis absurda est, & doctorum virorum patrocinio indigna: primò enim lex divina nusquam jubet nos errare: Ergo nusquam jubet nos fidem adhibere falsis, & proinde non tenemur credere falsa. Ratio consequentiæ est, quia credere falsa, seu falsa pro veris habere, est errare. Probatur antecedens: Lex divina nihil præcipit aut mandat, quod est contrarium naturæ divinæ: at error seu falsus assensus repugnat, & contrariatur naturæ DEI, qui ipsa veritas est.

2. Secundò, ea sola credenda sunt, quæ DEUS in verbo suo testatur esse vera: at DEUS in verbo suo non testatur falsa esse vera: Ergo falsa non sunt credenda: ratio propositionis est, quia fides est assensus nitens DEI testimonio.

Assumptio

Assumptio satis manifesta est, & à nullo negari potest.

3. Tertiò, si per veram & voluntati Divinæ conformem fidem falsis assentimur; *fides divina* aliquando est *error*: at absurdum est posterius: Ergo & prius. Probatur propositio, quia assentiri falsis, eaque pro veris amplecti, est errare. Assumptio manifesta est, quia fides Divina & error sunt habitus non solùm essentialiter distincti, sed repugnantes & contrarii, & proinde horum alter alteri attribui non potest: vide *Tilenum parte primâ Syntag: disp.* 38.

4. Ob. Statuendum est nobis & credendum, DEUM velle id à nobis fieri, quod nobis præcipit; & tamen ille interim sæpè diversum vult: Ergo quædam falsa sunt credenda. Probatur antecedens: Præceptum DEI est signum voluntatis divinæ, ideo enim appellatur *voluntas signi*, & *voluntas revelata*: quare cùm omne signum conforme sit signato, nobis statuendum est DEUM reverâ ea velle, quæ nobis præcipit; attamen ille reverâ non vult ea fieri: si enim vellet ea fieri, necessariò evenirent. Vt hæc difficultas tollatur, tenendum est, *Præceptum DEI appellari signum voluntatis, non quòd significet absolutam voluntatem procurandi aut efficiendi, ut res præcepta fiat; sed quòd indicet* (ut loquitur *Suarez. Lib.* 3. *de DEO, Cap.* 8.) *voluntatem præcipiendi, & obligandi homi-*

nes ad ea facienda, simul cum affectu simplicis approbationis: duo igitur indicat seu significat omne præceptum DEI: primò, *voluntatem obligandi homines ad ea facienda, quæ præcipit:* secundò, *voluntatem approbantem* seu approbativam, quâ approbat & amat bonos illos actus, quos à nobis exigit: *voluntas autem decretiva, seu absoluta & efficax*, nequaquam indicatur seu manifestatur per mandata legis divinæ; & proinde non tenemur credere DEUM velle ea, à nobis fieri voluntate efficaci, quæ nobis in verbo præcipit.

5. Secundò tenendum est, *ea omnia quæ* DEUS *vult voluntate decretivâ seu efficaci, necessariò evenire*; *ea verò quæ vult voluntate simplicis approbationis, sæpissimè non evenire*: vult enim omnes homines obedire legi suæ, voluntate simplicis approbationis, attamen hoc non evenit ut experientia docet. His positis; ad argumentum propositum respondetur, distinguendo utramque partem antecedentis: Prima ejus pars sic distingui potest: *statuendum est nobis* DEUM *velle ea omnia à nobis fieri, quæ præcipit, velle* (inquam) *voluntate approbativâ; non verò decretivâ & efficaci*: pars etiam secunda eodem modo distinguenda est: DEUS *enim ea quæ præcipit, non semper vult fieri voluntate decretivâ; semper tamen vult ea fieri voluntate approbativâ*. Quare cùm nobis tantùm statuendum

dum fit, DEUM velle ea quæ præcipit voluntate ſimplicis approbationis, quod procul dubio ſemper verum eſt, manifeſtum eſt nunquam incumbere nobis neceſſitatem credendi falſa, ſeu falſa pro veris amplectandi.

ART. XV.

Quomodo ſolvendum ſit illud argumentum Remonſtrantium:

Quod unuſquiſque tenetur credere, illud eſt verum, &c.

1. REMONSTRANTES in Colloquio *Hagienſi*, & in defenſione ſententiæ ſuæ, exhibitâ Ord. Gener. D. Delegatis, ad Synodum *Dordrechtanam*, hoc argumento demonſtrare conantur vniuerſalitatem mortis & meriti CHRISTI,

Quod omnes & ſinguli tenentur credere, illud eſt verum.

At omnes, etiam reprobi, tenentur credere, CHRISTVM pro iis eſſe mortuum: Ergo verum eſt CHRISTVM pro illis eſſe mortuum. Ad hoc argumentum tribus modis reſpondere ſolent Theologi Contra Remonſtrantes: primò, *negando maiorem*; ſecundò, *diſtinguendo minorem*; tertiò, *ſimpliciter negando minorem*.

Primus

Primus modus respondendi non satis tutus videtur: quia si negetur maior, sequetur DEVM illum sanctissimum & veracissimum ea reprobis credenda præcipere, quæ falsa sunt: quod superiori articulo confutatum est.

2. Secundum modum respondendi sequuntur *Belgici Ecclesiastæ*, in *Coll. Hagienſi*; item *Molin.* in *Anat. Armin. Cap. 29:* hi enim dicunt, fidem in CHRISTVM præscribi omnibus hominibus, non *absolutè*, sed *sub conditione pœnitentiæ, & conversionis*; hoc est si convertantur, & sic CHRISTI beneficium fideli animo amplectantur: vt videre est in summâ Evangelicorum Præceptorum, *Marc. 1. v. 15. convertimini, & credite Evangelio*. Ex hac igitur sententia, reprobi absolutè loquendo non tenentur credere, CHRISTVM pro iis esse mortuum; sed (ut dictum est) præsuppositâ conditione conversionis: quamdiu enim in malitiâ suâ pergunt, DEVS vult ut credant *iram* DEI *super illos manere*, *Iohan. tertio, ver. trigesimo sexto.*

3. Hujus responsionis veritas duabus rationibus efficaciter probatur: primò ea sola credēda sunt, quæ DEVS in suo verbo testatur esse vera, at DEVS in S. Scriptura nusquam testatur CHRISTVM esse mortuum pro peccatoribus, sive convertantur, sive non convertantur: Ergo illud non est credendum. Secundò, si peccatores

catores in malitiâ ſuâ pergentes, tenentur credere CHRISTVM pro iis eſſe mortuum, tenentur etiam credere ſe eſſe electos, & æternæ beatitudinis participes futuros: at falſum eſt poſterius, ergo & prius. Ratio propoſitionis eſt, quia CHRISTVS mortuus eſt pro ſolis electis, ut patet ex iis S. Scripturæ locis, quæ teſtantur CHRISTVM mortuum eſſe pro *ovibus ſuis*, pro *Eccleſia ſua*, pro *iis quos Pater ipſi dedit*, pro *filiis* DEI, pro *populo ſuo*, &c. Probatur etiam aſſumptio, quia peccatores in malitiâ ſuâ pergentes tenentur credere *iram* DEI *ſuper eos manere*, & proinde non tenentur credere ſe eſſe electos ad vitam æternam.

4. Tertium modum reſpondendi ſequitur venerabilis ille ſenex *Iohannes Piſcator*, S. Literarum Profeſſor in illuſtri Scholâ *Herbornenſi*: is enim in Reſponſione Apologetica ad Paraſceuen *Conradi Vorſtii*, *cap.* 7. abſolutè negat, reprobos teneri in CHRISTVM credere, h. e. credere CHRISTVM pro iis eſſe mortuum, *tantùm enim* (inquit) *tenentur credere Euangelio, ſeu doctrinæ Euangelii*, quæ citra controverſiam veriſſima eſt. Hæc reſponſio, quamvis poſtea diſplicuit ipſi *Piſcatori*, in Reſponſione ad amicam Duplicationem *Conradi Vorſtii*, reverâ tamen magnam probabilitatẽ habet, ut patet ex hac ratione, *Quod neque abſolutè, neque ſub conditione verum eſt, illud neque*

abſolutè

absolutè, neque sub conditione credendum est: at CHRISTVM *missum esse in mundum, ut pro* IUDA *proditore mortem oppeteret, neque absolutè, neque sub conditione verum est: Ergo* IUDAS *nullo modo tenebatur hoc credere neque potuit illud ei proponi credendum.*

5. Cæterùm quia præcedens sententia plerisque Orthodoxis Theologis magis arridet, ego ex istius sententiæ fundamentis solvam duo præcipue argumenta, quæ afferri possunt in contrarium: prius est hoc, *Præcepta ea quæ DEVS vult omnibus & singulis proponi, omnes & singulos obligant & astringunt obediendi necessitate: At* CREDE IN CHRISTVM, *est tale præceptum: Ergo, &c.* Resp. præcepta DEI duplicia sunt, videlicet *absoluta*, & *conditionalia*. Absoluta præcepta ónes, sive electos, sive reprobos, absolutè obligant ad obedientiam. Conditionalia præcepta omnes etiam obligant, sive sint electi, sive reprobi, sed sub certa conditione. Tale est præceptum illud de quo hic sermo est, illud enim obligat etiam reprobos, sed sub conditione conversionis, seu resipiscentiæ: h. e. si agnoscant peccata sua, & percipiant in se dolorem de iis conceptum, quem scripturæ nunc *lacerationem cordis*, nunc κατάνυξιν vocant: solis enim illis qui hæc in se sentiunt præcipit vox Evangelii, ut credant reconciliationē & peccatorum remissionem esse

ſe ſibi impetratam per mortem CHRISTI.

6. Inſtabit aliquis Primò, *illud præceptum* (crede in Chriſtum) *fruſtra proponitur reprobis, in quibus ne quidem poteſt inveniri conditio illa requiſita, viz converſio.* Reſp. hoc præceptum non ob eundum finem proponitur fidelibus, & infidelibus: nam pœnitentibus & fidelibus proponitur hæc conſolatio, propter ipſorum ſalutem; impœnitentibus verò & infidelibus, quales ſunt reprobri, monſtratur viaquâ ipſis eſt incedendum, ut recipiant fructus mortis *Chriſti*, nimirum quòd debent converti & converſione præſupoſitâ in *Chriſtum* credere. Inſtant. Secunda: *omne bonum opus abſolutè & abſq; conditione, omnibus præcipitur a* DEO: *at credere in* Chriſtum *eſt bonus actus ſeu bonum opus: Ergo.* Reſp. Primò ad propoſitionem, negando: nam (ut dictum eſt in articulo 13.) in ipſo Decalogo multa bona opera præcipiuntur hypothetice, ſeu ſub conditione. Secundò Reſpond. diſtinguendo: nam perſuaſio de reconciliatione, & peccatorum remiſſione impetratam per mortem *Chriſti*, infidelibus eſt bonus & ſalutaris actus, ab habitu fidei elicitus: at in reprobis qui in malitiâ pergunt ad finem vitæ eſt pernitioſus error & fanatica arrogantia.

7. Poſterius argumentum eſt hoc: *Reprobi propter ſuam infidelitatem condemnabuntur, h.e.*

h. e. quia in Christum *non crediderunt: Ergò tenentur in* Christum *credere.* Respondent *Contra Remonstrantes* in *Col. Hag.* peccatores impœnitentes non ideo peccare, quòd non credant *Christum* pro impœnitentibus & infidelibus peccatoribus, qui tales sunt & manent, mortuum esse, (nam si illud crederēt, mendacio crederent,) & proinde eos propter illam infidelitatis speciem non condemnari: sed potius quia noluerunt converti, & secundùm doctrinam s. Evangelii in *Christum* credere.

8. Vt hæc responsio intelligatur, tenendum est illam infidelitatis speciem, de quâ hîc quæstio est, h. e. defectum illius persuasionis, quam vocant *fiduciam specialis misericordiæ*, duodus modis considerari posse: vel enim consideratur *per se & seorsim*: vel quatenus *provenit ex defectu conversionis & resipiscentiæ*, quam diximus esse conditionem præcedaneam & prærequisitam ad fidem in CHRISTVM: priori modo considerata, non est causa meritoria condēnationis, quia videlicet illi absolutè non tenentur credere CHRISTVM pro iis esse mortuum: at posteriori modo rectè dici potest mereri condemnationem: quamvis enim absolutè non tenentur in CHRISTVM credere, tenentur tamen ex præscripto Evangelii *converti, & præsuppositâ conversione credere*, & sibi applicare illas promissiones Evangelicas.

gelicas.

9. Instant. *Illa infidelitas de qua hic est quæstio, est peccatum: opponitur enim virtuti, id est, fidei, & proinde est vitium; si autem est peccatum, malè negatur eam per se esse causam meritoriam condemnationis.* Resp. distinguendo infidelitatem, in *privativam* & *negativam:* infidelitas priuativa est, cùm ea non credimus, quę credere tenemur: hæc enim infidelitas adjunctam habet *obligationem ad credendum:* exempli gratiâ, Hæretici aliique hostes Ecclesiæ infideles sunt infidelitate privativâ, quia ea non credunt, quæ credere tenentur: hoc est, quia non credunt ea, quæ DEUS in verbo suo testatur esse vera: infidelitas negatiua est mera carentia fidei, *sine obligatione ad credendum:* Exempli gratiâ, illi quibus nunquam annunciatum est Evangelium, sunt infideles infidelitate hac negativâ, quia non tenentur credere ea quæ nunquam audiverunt: unde *Christus, Ioh.* 15. 22. dicit, *Si non venissem & loquutus iis fuissem, peccatum non haberent:* quia viz. non tenerentur hæc credere quæ nunc tenentur credere.

10. vt hęc proposito applicem, assero *infidelitatem privativam esse peccatum, seu vitium, quia privativè opponitur virtuti, h. e. fidei: infidelitatem verò negativam non esse peccatum, quia contradictoriè tantùm opponitur virtuti:* nemo autem dixerit ea omnia quæ contradictoriè

virtuti

virtuti opponuntur habere rationem vitii: idem etiam probatur ex dicto *Christi, si iis non loquutus fuissem, non haberent peccatum*, viz. infidelitas hujus *privativæ*, quâ non credunt Evangelio, quod per me est iis annunciatum atque adeo quod credere tenētur: vnde *Augustinus* locum eum exponens, *tract. 89. in Ioan.* testatur eos ad quos Evangelii prædicatio non pervenit, excusari a peccato infidelitatis, damnandos autem propter alia peccata quorum excusationem non habent, utpote in legem naturæ commissa.

11. Reproborum igitur infidelitas, quâ non credunt ea quæ sacra Scriptura vera esse testatur, *de potentia DEI, de justitia eiusdem, & irâ aduersus peccatum, de sanctorum beatitudine, de æternâ miseriâ reproborũ, de rerum terrenarum vilitate*, &c. Hæc (inquam) infidelitas est *privativa*, est que peccatum propriè dictum, quia videlicet non credunt ea quæ credere tenentur. At infidelitas eorundem quâ non credunt Christum *pro iis esse mortuum*, est infidelitas *negativa*; hoc est, mera carentia fidei, sine obligatione ad credendum; nam (ut supra dictum est) quamdiu in malitia sua pergunt, tenentur potius credere *iram* Dei *super illos manere*: Hæc igitur infidelitas *per se & seorsim* spectata, non est peccatum: licèt quatenus ea *provenit ex defectu conversionis & resipiscentiæ*, verè & propriè

propriè sit peecatum.

ART. XVI.

An fides sit assensus discursivus? Et an Pontifícii utantur circulari discursu in stabiliendâ fide.

1. ASSENSVS dividi solet in *simplicem*, quem *Noëticum* vocant; & *Dianoëticum* seu *discursivum*. Simplex assensus est, *quo intellectus noster assentitur propositionibus suâ luce claris, & manifestis*: quales sunt hæ, *Omne totum est majus suâ parte*: *De qualibet re verum est affirmare vel negare*: harum enim propositionum veritas primo quasi intuitu intellectui innotescit, per terminorum apprehensionem, & non per externum aliquod medium eas notificans. Assensus discursivus *est, cùm intellectus assentitur propositionibus, non propter insitam earum evidentiam, sed propter certitudinem, evidentiam, & probabilitatem medii quo intellectus movetur ad assentiendum.*

2. Ad quæstionem igitur in titulo propositam Respondetur, fidei assensum non simplicem, sed discursivum esse: quia nimirum propositiones illæ quibus per fidem assentimur, non sunt suâ luce claræ aut manifestæ, neq; iis

assentimur propter insitam earum evidentiam, sed propter authoritatem DEI, in S. Scripturâ testantis eas esse veras.

3. Discursus fidei hoc syllogismo non incommodè exprimitur,

Quicquid DEUS *dicit, est verum:*
At DEUS *ea omnia dixit et dictavit, quæ in Scriptis Propheticis & Apostolicis extant: Ergo ea omnia sunt vera.*

Hujus Syllog. propositio major evidenter probatur ex principiis naturâ notis, h. e. ex fundamentis Metaphysicis, quibus DEI veritas & veracitas demonstrantur; adeo ut nullus sit Philosophus Ethnicus, qui eam negare audeat; si quis autem tam absurdus & demens sit, ut hanc manifestam veritatem neget, flagris excipiendus est; nec Philosophi verba, sed carnificis verbera meretur.

4. Propositio minor Syllogismi prædicti naturali ratione probari non potest, & proinde ejus veritatem aliis fundamentis niti oportet. Hìc *Pontificii* & *Evangelici* Theologi longè dissentiunt: illi enim fidem nostram, quâ credimus Scripta Prophetarum & Apostolorum esse DEI verbum, Ecclesiæ testimonio fulciendam & staturninandam putant: hi verò licèt Ecclesiæ testimonium temerè non rejiciant, sed reverenter amplectantur, ab eo tamen solo veritatem istius propositionis minoris non suspendunt, sed eam

im deducunt partim ex internis χαρακτῆρι ipsius Scripturæ, (*hoc est, ex genere doctrinæ, quæ sapientissima, sanctissima, & vbique sibi consentanea est: ex qualitate stili, qui simplex quidem & humilis est, sed purus, inaffectatus, & diuinæ Maiestati conueniens: ex Sermonis ipsius operatione, mirificè enim afficit mentes hominum, & Diuino quodam modo efficax est ad fidem & pietatem in animis hominum ingenerandam:*) partim ex testimonio S. Spiritus, intus in piorum cordibus sancientis & obsignantis diuinam Scripturæ veritatem, & authoritatem.

5. Processus ille, quo vtuntur Pontificii in probandâ Scripturæ authoritate, circularis est, & proinde non solùm inutilis, sed etiam (ut loquitur *Tilenus*) fatuus, & sophisticæ ἀδολεσχίας fœtus est: etenim interrogati, cur credant Scripturam esse DEI verbum? Respondent, se id eò credere, quod Ecclesia quæ extra omnem errandi aleam posita est, id testetur: rursus interrogati, quibus argumentis de illa Ecclesiæ ἀσφαλείᾳ persuasi sint? Respondent se hoc eò credere, quod Scriptura testetur Ecclesiam esse *domum DEI, sponsam CHRISTI, firmamentum & columnam veritatis*; atque ita à Scripturâ ad Ecclesiam, & ab Ecclesia ad Scripturam reuoluti, circulum nobis obtrudunt.

6. *Stapletonus*, ut hunc progressum circularem vitet, dicit se ideo credere Ecclesiam à

S. Spiritu in omnem veritatem dirigi, quia *S. Spiritus* ejus intellectum efficaciter movet ad illud credendum. Sed hoc effugium facilè præcludi potest *Stapletono*: primò, quia internum S. Spiritûs testimonium à verbo scripto sejungendum non est, neque (ut rectè monet *Tilenus*) vertiginosis Enthusiasmis est inhiandum: nam verbum est norma & regula, ad quam examinandæ sunt nostræ mētis persuasiones, ut sciamus nos à Spiritu veritatis & sapientiæ, non à Spiritu vertiginis & mendacii agitari: Ergo necesse est, ut ad S. Scripturam tandem revolvatur *Stapletonus*. Secundò, quia ad assensum fidei tria requiruntur, ut egregiè docet Doctissimus *Richardus Field, lib. 4. de Ecclesiâ Cap. 7:* Primò, lumen Divinæ intelligentiæ, quo apprehendimus & intelligimus ea quæ sunt DEI. Secundò, *S. Spiritus* qui illius illuminationis author est. Tertiò, argumentorum pondera quibus *Spiritus* intellectum nostrum movet ad assentiendum. Non igitur hîc quærimus ex *Stapletono*, quis author sit illius fidei, quâ creditur Ecclesiæ infallibilitas, neque quo lumine illa infallibilitas cognoscatur, sed quibus mediis aut argumentis *Spiritus* intellectui suadeat, *Ecclesiam non posse errare*, h.e. utrûm illud suadeat argumentis ex Scripturâ, an verò aliunde desumptis.

7. Hic est ille scopulus, quem præternavigare non potest *Stapletonus*, nisi cum *Durando*

rando Lib. 3. Sent. dist. 34. quæst. 3. confugiat ad *rationes* (ut vocant) *humanas*; hoc est, ad argumenta non ex Scripturâ, sed aliundè desumpta: & certè non desunt, qui hoc *Durandi* delirium interpolare, & quasi ab inferis revocare conantur: dicentes, fidem quâ creditur Ecclesiæ authoritas, niti ratione humanâ, *quæ dictat ex apparentibus* (*Durandi* verba sunt) *quòd doctrina confirmata per tot signa, conservata à martyribus inter tot supplicia, sit vera*: & proinde quòd cœtus hominum hanc doctrinam profitentium, sit vera Ecclesia CHRISTI. Sed hæc sententia facilè convellitur: primò, quia hæc ratio quamvis probare videatur hunc vel illum cœtum esse veram Ecclesiam, non tamen probat id quod illi asserunt; videlicet, Ecclesiam extra omnem errandi & fallendi aleam esse positam. Secundò, quia ratio illa non est certa & necessaria, sed probabilis; est enim *ex apparentibus*, fatente ipso *Durando*, ideoque non potest esse fundamentum fidei divinæ, quæ est assensus certus & firmus.

8. Quidam Pontificii, ut hæc incommoda & absurda evitent, confugiunt ad imperium voluntatis, quam dicunt sine ulla ratione aut argumento intellectum movere ad credendum illud dogma de infallibilitate Ecclesiæ. Hæc sententia non immeritò displicuit *Pico Mirandulæ, Cardinali Cameracensi, & Durando*; primò,

mò, quia fides est assensus nitens alterius testimonio: illa igitur fides qua creditur Ecclesiæ infallibilitas, vel nititur testimonio aliquo, vel non est fides. Secundò, nemo assentiri potest alicui propositioni dubiæ, nisi vel ratio, vel sensus, vel testimonium alicujus fide digni, doceat eam esse veram. Tertiò, intellectus non potest assentiri propositioni alicui, nisi ea appareat intellectui vera, at nudum imperium voluntatis non potest efficere, ut propositio dubia intellectui vera appareat: Ergo non potest efficere ut assentiatur, nisi adsit ratio aliqua aut testimonium.

9. Alii pontificii confitentur Scripturæ authoritatem stabiliri per Ecclesiæ infallibilitatem, & rursus Ecclesiæ infallibilitatem per scripturæ authoritatem probari, sed asserunt hunc progressum, non circulum, sed regressum esse: quia viz. *non est ab eodem ad idem eodem modo cognitum:* primò enim cùm ex Ecclesiæ infallibilitate probatur scripturæ authoritas, fit progressus ab Ecclesiæ infallibilitate, tanquam ab *aliquo notiore & evidentiore nobis*, ad id *quod nobis est ignotius:* deinde cùm ex Scripturæ authoritate probatur Ecclesiæ infallibilitas, fit progressus ab eo *quod notius est naturâ & prius*, ad id *quod ignotius est & posterius naturæ ordine.*

10. Hæc sententia non minùs absurda est quàm præcedentes: quia Ecclesia ejusque infallibilitas,

libilitas, quam ei affingunt Pontificii, non solùm *ordine essendi*, sed etiam *cognoscendi*, ignotiores sunt DEI verbo, ut patet ex hac ratione.

Quod ex sola Scriptura cognosci potest, illud ordine cognoscendi, non est notius, sed ignotius ipsâ Scripturâ.

At Ecclesia ejusq; infallibilitas ex sola Scriptura cognosci potest.

Ergo, &c.

Maior manifesta est: probatur assũptio; Ecclesia nihil aliud est, quàm cœtus hominum profitentium veram & sanam doctrinam de DEO, eiusque operibus: quis autem cœtus talis sit, non cognosci potest, nisi ex Scripturâ: nam ea sola doctrina vera est, quæ S. Scripturæ est consentanea. Quod ad Ecclesiæ infallibilitatem attinet, ea nobis innotescit vel ex *ratione naturali*, (quod nemo admiserit,) vel ex *testimonio*: rursus si ex testimonio, vel ex *testimonio* DEI, vel ex *testimonio eorum hominum qui sunt extra Ecclesiam*, vel ex *testimonio ipsius Ecclesiæ*: non ex testimonio ipsius Ecclesiæ, quia illud nullius ponderis est apud eos qui nondum persuasi sunt de Ecclesiæ authoritate: neque ex testimonio eorum qui extra Ecclesiam sunt, quia de Ecclesia illi testimonium perhibere non possunt: Ergo necesse est, ut innotescat ex testimonio *DEI* in verbo, & proinde *Dei* verbum etiam notius est ordine cognoscendi, quàm infalli-

bilitas illa quam affingunt Ecclesiæ.

11. *Becanus Tom. 1. opuscul. 10. Thes. 19. pag. 393.* nostri argumenti vim declinaturus, dicit non committi circulum, si unum per alterum probetur apud eum qui alterum admittit, alterum negat: verbi gratiâ, (inquit) *Calvinista admittit Scripturam, negat Ecclesiæ infallibilitatem: rectè ergo convincam illum hoc modo: Scriptura quam tu admittis, dicit Ecclesiam esse infallibilem: Ergo revera infallibilis est: similiter, si quis Idiota admittat judicium Ecclesiæ, & tamen nesciat in particulari Libros Machabæorum esse divinos: facilè persuadebo illi sine circulo, si sic dicam; Ecclesia, cujus tu authoritatem admittis, asseverat Libros Machabæorum esse divinos: Ergo non debes hac de re ampliùs dubitare.* Hactenus *Becanus*.

12. Hoc *Becani* effugium nullum est: quæram enim ex eo, reliquisque Pontificiis, unde divina Scripturæ authoritas probari possit apud eum qui Scripturam universam impugnat, & per consequens Ecclesiam pro cœtu hominum absurdorum & delirantium habet: hæc enim duo cohærent necessariò, nec divelli possunt: cùm enim Scripturæ & veræ Ecclesiæ eadem sit doctrina, fieri nequit, ut quis veram Ecclesiam agnoscat, illique credat, qui universam Scripturam negat. Si dixerint canonicam authoritatem sacri codicis per nullum aliud medium,

quàm

quàm per Ecclesiæ authoritatem probari; excipiam primò, ignotum probari per æquè ignotum: nam is non minùs Ecclesiæ, quàm Scripturæ authoritatem negat. Secundò, quæram quo pacto Ecclesiæ authoritas illi demonstrari possit? aut enim ex Scripturis, aut aliundè demonstranda est; non aliundè, quia Ecclesiæ authoritas solis Scripturis superstructa est, ut jam probatum est: si ad Scripturam recurrendum est, circularis erit progressus; nam Scriptura per Ecclesiam, & rursus Ecclesia per Scripturam demonstrabitur.

ART. XVII.

An notitia sit actus ab habitu fidei elicitus.

1. ROBERTUS BELLARMINUS, *Lib.* 1. *de justificatione, Cap.* 7. dicit, fidem non esse notitiam, sed assensum: item, fidem magis per ignorantiam, quàm per notitiam definiendam esse. Evangelici verò hanc *Bellarmini* sententiam tanquam absurdam & pernitiosam rejiciunt, dicentes cum *Calvino*, *Lib.* 3. *Instit. Cap.* 2. *Non ignorantiâ nec sensûs nostri submissione, sed cognitione certâ & exploratâ regnum cœlorum adiri.* Interim monent, per notitiam quam fidei tribuunt, non intelligi

telligi ab iis ſcientiam concluſionum, acquiſitam per media demonſtrationum, ex principiis per ſe notis: talis enim notitia pugnat cum inevidentia quam fidei tribuimus. monent etiam, ſe non tollere gradus in cognitione rerum ſacrarum, cùm fidem etiam *Laicorum* notitiam appellant: majorem enim in *docente*, quàm in *diſcente*; in *Paſtore*, quàm in *Ove* notitiam requiri fatentur: ſed notitiam illam opponunt *craſſæ ignorantiæ*, quam *implicitæ fidei*, & *cæcæ obedientiæ* elogiis ornant Pontificii; ſcilicet ut aſininum potius ſtuporem in Laicis foveant, quàm Chriſtianam fidem.

2. Certitudo, quam omnes Theologi fidei tribuunt, hunc errorem *Bellarmini* facilè evertit, & deſtruit: ad eam enim triplex notitia requiritur: prima eſt, notitia quâ novimus *quis loquatur*; hoc eſt, quâ novimus, ſermonem illum, cui aſſentimur, eſſe DEI ipſius, & non hominum ſermonem: nemo enim aſſentitur alicui propoſitioni propter alterius teſtimonium, niſi certò ſciat cujus ſit illud teſtimonium, & an is qui teſtimonium perhibet ſit fide dignus. Secunda notitia eſt, quâ novimus *quid loquatur*; hoc eſt, quâ rectè intelligimus DEI ſermonem, & verum verborum ſenſum cognoſcimus: nemo enim aſſentitur ſermoni, quem non intelligit. Tertia eſt notitia quâ novimus *vera eſſe ea quæ loquitur*. Prima & ſecunda notitia

ſunt

sunt *prærequisitæ antecedenter*, ut loquuntur, ad assensum fidei: nam assensus fidei eas præsupponit: Tertia cognitio non prærequisita, sed requisita est *concomitanter*, ut vocant, ad assensum fidei: nam *intrinsecè & essentialiter in ipso actu assentiendi includitur.*

3. Cùm igitur ad fidei assensum triplex notitia requiratur, ut iam probatum est: quis non videt *Bellarminum* absurdè contendere fidem iustificantem non esse notitiam, sed simplicem assensum & ignorantiam? quis non mirabitur, quomodo tam ineptum dogma potuerit viro docto in mentem venire? Certè hic error Ecclesiæ perniciosissimus fuit: hinc enim crassa ignorantia & cæcitas totum *Papatum* occupavit: hinc *humanæ traditiones, errores, superstitiones, & mendacia*, in Ecclesiam invecta sunt: hinc est quòd Pontificij Doctores ridendam illam *Carbonaris* fidem, tanquam spiritualem sapientiam, summopere collaudent.

4. Non statui hic respondere ad argumenta *Bellarmini* ex Scripturis deprompta, (eorum enim consideratio ad Theologos pertinet) sed ad rationem ipsius à natura fidei petitam, cuius hæc est summa; iudicium nitens alterius testimonio & authoritate, non est notitia: sed fides est tale iudicium: Ergo. Hujus syllogismi major falsissima est, ut patet ex iis quæ jam dicta sunt, quamvis enim tale iudicium non sit

notitia

notitia evidens & scientialis, non tamen ob id ignorantia potius quàm notitia vocari debet.

ART. XVIII.

An fiducia sit actus fidei.

1. THeologi *Orthodoxi* non eodem modo loquuntur de *fiducia* & πληροφορίᾳ sanctorum in terris *militantium*: nam eorum alii appellant fiduciam *formam & specificum actum fidei*, alii verò eam fidei *effectum & consequens* vocant: quæ quidem loquendi diversitas oritur ex diverso modo accipiendi hoc vocabulum, ut cuivis patebit, qui eorum verba diligentiùs consideraverit. Vt igitur clara & perspicua sit hæc disputatio, quatuor huius vocis significata enumerabo, & ostendam fiduciam primo modo acceptam, verum & propriè dictum fidei justificantis actum esse.

2. Fiducia primo modo accipitur, *pro firmâ persuasione, seu pro certo & stabili judicio intellectûs, quo apud nos statuimus, & propter* DEI *testimonium in verbo suo credimus*, DOMINUM *nostrum* IESVM CHRISTVM, *precioso suo sanguine nos redemisse, &* DEVM *Patrem propter ejus meritum omnia nostra peccata remisisse: eundem etiam propter illud* CHRISTI

STI *meritum, & ſacrificium in cruce oblatum, liberaturum nos ab omnibus hujus vitæ miſeriis & calamitatibus, & tandem donaturum nos ineffabilis illius gloriæ æternitate.* Secundò accipitur, *pro interna acquieſcentia in divina benevolentia & gratia, per quam toti ab illa pendemus, non aliundè auxilium & ſalutem expectantes.* Tertiò, *pro ſpirituali fortitudine & animoſitate, qua animi nervos & robur opponimus eis malis & periculis, ſive temporalibus, ſive ſpiritualibus, cum quibus in hac lachrymarum valle conflictamur.* Quartò, *pro pace, tranquillitate, & quaſi ſerenitate conſcientiæ, ſeu ſecuritate ſpirituali, quæ* (ut loquuntur Scholaſtici) *quietem à ſervili timore importat.*

3. Fiducia, primo modo accepta, reſpicit *veritatem* promiſſionum Evangelicarum, iiſque aſſentitur. Fiducia, ſecundo modo accepta, reſpicit DEI promittentis *bonitatem*, illique innititur. Fiducia, tertio modo accepta, reſpicit *pericula & miſerias* hujus vitæ, iiſque animosè ſe opponit. Fiducia, quarto modo accepta, reſpicit *Librum conſcientiæ*, eumque cum gaudio legit.

4. Fiducia, primo modo accepta, eſt baſis & fundamentum trium ſequentium: quia enim firmâ perſuaſione, & certo judicio mentis Evangelicas promiſſiones nobis ipſis applicamus, ideo in DEI benevolentiâ & miſericordiâ acquieſcimus;

acquiescimus; ideo contra mundum, Satanam, & carnem nostram fortiter prœliamur; ideo denique conscientiam tranquillam & serenam habemus.

5. His positis, ad primam quæstionem in titulo propositam Respondetur duabus assertionibus. Prima est hæc: *fiducia secundo, tertio, aut quarto modo accepta, non est fidei actus; sed est effectum & consequens fidei.* Secunda assert: *fiducia primo modo accepta, est verus & propriè dictus salvifica fidei actus, imò est præcipuus & specificus eius actus:* nam fidem salvificam distinguit à reliquis fidei generibus: prior assertio manifesta est, & probatione non eget: posterior hac ratione probatur:

Persuasio firma, certa, & DEI testimonio nitens, de remissione peccatorum meorum & adeptione vitæ æternæ, est verus fidei actus.

At fiducia primo modo accepta, est talis persuasio:

Ergo est verus fidei actus.

Minor hujus Syllog. manifesta est: major etiam facilè confirmatur; quia omnis persuasio nitens alterius testimonio, est fides: ut patet ex iis quæ dicta sunt in *art.* 2. hujus Exercitationis.

5. Respondebunt Pontificii, non dari firmam persuasionem de remissione peccatorum in fidelium mentibus: & proinde subjectum istius

istius propositionis majoris esse merum figmentum, & non Ens: ratio ipsorum est, quia in verbo DEI nunquam reperitur salus annunciata mihi aut illi in particulari. Sed hæc Responsio frivola & manifestè falsa est: primò enim ipse *Bellarminus Lib. 1. de justificatione, Cap. 10.* fatetur salutem in particulari annunciatam fuisse paucis quibusdam, ut *Paralytico*, cui dictum est *Mat. 9. confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: & *Peccatrici*, de qua dictum est *Luc. 7. remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*: item *Adulteræ, Joban. 8. Zachæo, Luc. 19.* & *Latroni, Luc. 23.* Horum igitur persuasio de remissione peccatorum fuit verus & propriè dictus fidei actus, quia viz: nitebatur DEI ipsius testimonio: at horum persuasio fuit fiducia primo modo accepta: Ergo fiducia primo modo accepta, est fidei actus.

7. Secundò: quamvis in verbo DEI non reperiatur expressè salus annunciata mihi, & tibi, in particulari: ex verbo tamen evidenter deducitur DEVM mihi, tibi, singulisque credentibus remittere velle peccata, & dare vitam æternam. Syllogismus hujus deductionis sic formari potest:

Omnis qui credit in Filium, habet remissionem peccatorum, & vitam æternam: Joh. 3. Act. 13. & Rom. 3.

At ego credo in Filium:

Ergo

Ergo ego habeo remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Excipit *Bellarminus maiorem istius Syllog: esse certissimam, quia in S. Scriptura reperitur: minorem verò non esse in verbo DEI, sed in opinione nostrâ, qua fallax est & coniecturalis.* Respond. persuasionem nostram de veritate minoris, niti illis *S.* Scripturæ locis, in quibus *vera fides* à *fide mortuâ* distinguitur, & veræ fidei infallibilia signa & indicia proponuntur, & proinde non esse coniecturalem opinionem; sed firmam & certam notitiam, DEI ipsius testimonio in verbo suo statuminatam.

8. Instabit aliquis: *Fideles ex verbo DEI scire possunt, quæ sint signa & γνωρίσματα veræ fidei: an verò ipsi ea signa habeant, non possunt scire certâ cognitione, sed tantùm coniecturali.* Resp. illud falsissimum esse: primò, quia inde sequetur illa veræ fidei signa frustrà proponi in sacra Scriptura: indicium enim rei frustrà proponitur, si res ipsa per illud indicium innotescere non possit: hoc est, si indicium æquè obscurum sit, & dubium ac ipsa res per illud indicium notificanda. Secundò, quia hoc dogma insignem stuporem & ἀναισθησίαν fidelibus affingit: si quis enim oculis corporeis videret, & non certò sciret se videre; si quis item rerum Physicarum notitiam haberet, & non certò sciret, sed tantum coniiceret se earum notitiam habere, is

fatuus

fatuus & stupidus haberetur: pari ratione; si illi qui credunt in DEVM, non percipiunt & certò sciunt se credere, miserabili stupore laborant.

9. Tertiò: *Spiritus DEI testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios DEI, & per consequens nos veram fidem habere, Rom. 8. 16.* Ex quo testimonio validissimum argumentum contra prædictam instantiam Pontificiorum sic formari potest.

Quicquid spiritus DEI testatur: illud verum est, & nos de ejus veritate persuasi esse possumus.

At spiritus DEI testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios DEI, & proinde vere fiduciales habere.

Ergo &c.

Bellarminus, hujus argumenti vim declinaturus, dicit *testimonium internum Spiritus DEI non gignere certitudinem nisi conjecturalem.* Hæc responsio refutatione est indigna: est enim impia, & in DEVM contumeliosa, nam spiritum DEI fallacitatis & ambiguitatis arguit.

10. Quartò: Morales Philosophi loquentes de *felicitate civili*, damnant sententiam *Platonis*, qui asserit *hominem posse esse felicem, & non percipere se esse talem*: Ergo Theologi Orthodoxi loquentes de *spirituali felicitate* Christianorum, (quæ in virtutum Theologica-

rum exercitio posita est) meritò damnant errorem *Bellarmini*, qui in Libro tertio de justificatione toties asserit, *eos qui spirituali felicitate ornati sunt, de sua felicitate certam persuasionem habere non posse.*

11. *Picolhomineus, civilis Philosophiæ Gra. 9. cap. 44.* tribus rationibus *Plotini* errorem refellit, quæ si huic proposito applicentur, *Bellarmini* sententiam evertunt, & destruunt: verba ejus sunt hæc: *primò, quia felicitas in actione est posita: actio autem non latet agentem: & præsertim quia actionis præstantia in præelectione est posita: præelectio autem præelegenti est conspicua. Insuper felicitatem comitatur gaudium: at non perfunditur gaudio, nec animo requiescit, qui non animadvertit se esse felicem. Præterea, in felicitate nihil diminutum inveniri debet; at maximè diminuta esset eius viri conditio qui esset felix, & non perciperet se esse felicem, ita enim lapis etiam possit esse felix.*

ART.

ART. XIX.

An fiducia sit actus intellectûs, & quomodo differat ab assensu.

1. BELLARMINVS, *Lib. 1. de Just. Cap. 6.* probare conatur, fiduciam non esse actum fidei, argumento sumpto ab ejus subjecto; quia videlicet fides ad intellectum, fiducia verò ad voluntatem pertinet. Hæc ratio duplici nomine infirma est: primò, quia fides, licèt subjectivè existat in solo intellectu, ut docet *Tilenus, Synt. part. 2. Disp. 40. Thes. 16.* & 17. revera tamen ad voluntatem etiam pertinet. Secundò, quia fiducia, quæ *Græcè* πιστοῦσις & πληροφορία dicitur, formaliter in solo intellectu existit: ut autem hoc intelligatur, proponam aliquot fundamenta, quæ meo judicio non exiguam utilitatem habent ad nostram sententiam stabiliendam, & adversarii sententiam confutandam.

Primum fundamentum: *fideles seu renati non uno, sed duobus actibus, meritum CHRISTI, & DEI misericordiam sibi applicant:* prior actus in intellectu existit, *estque certa persuasio, seu iudicium mentis DEI testimonio nitens*, quo apud nos statuimus, Salvatorem

nostrum JESUM CHRISTUM pro nostris peccatis plenissimè satisfeciſſe, & per consequens non solùm aliis, sed nobis quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donatam esse, idque gratis, ex DEI misericordiâ, propter unius CHRISTI meritum. Posterior actus *applicativus gratiæ*, in voluntate existit, *est enim ardens amor quo voluntas gratiam, & favorem DEI amplectitur*, serio expetens perfectionem istius gratiæ sensum in hac vitâ, & claram DEI visionem in vita futura.

3. Secundum fundamentum: *Uterque actus ad fiduciam requiritur*: nemo enim dici potest confidere, seu fiduciam habere de bono obtinendo, nisi & *firmam habeat persuasionem in intellectu*, & *desiderium* vel *amorem ejus boni in voluntate*. Hoc egregiè explicat *Tolenus Synag. part. 2. n. Disp. 38. Thes. 8.* dicens, *objectum fidei salvificæ esse veritatem divinam, non solùm quâ aliquid narrat, sed primis quâ aliquid promittit: ubi non satis est assentiri narrationi, ut veræ; sed necesse est rem oblatam amplecti, quod utique ad voluntatem pertinet.*

4. Tertium fundamentum: *prior actus est ipsa essentia seu formalis ratio fiduciæ; posterior verò est tantùm actus ei annexus, & concomitans: & proinde fiducia formaliter est in intellectu, licèt annexum habeat desiderium voluntatis.* Probatur

hæc

hæc assert. primò, quia oppositum *fiduciæ*, videlicet *diffidentia* est in intellectu: Ergo ipsa fiducia est in intellectu: ratio antecedentis est, quia diffidentia quâ aliquis dicitur diffidere sibi, aut suis rebus, non significat *odium aut aversationem voluntatis*, sed aut *dubitationem de viribus suis*, aut *persuasionem de imbecillitate suâ*, quæ proculdubio ad intellectum pertinent. Secundò, quia si fiducia formaliter esset *actus voluntatis*, nihil aliud esset quàm *desiderium aut amor* objecti: sed hoc est quotidianæ experientiæ contrarium: multi enim ardenter *expetunt & desiderant* obiectum aliquod, qui non habent *fiduciam* de eo obtinendo.

5. Ob. prim. *Si fiducia est actus intellectûs, tota fides salvifica in intellectu existet.* Respondeo cum *Tileno, disp. 40. part. 2.* totam fidem ratione *essentiæ suæ* esse in intellectu, tanquam in proprio subiecto, licèt ἐνεργητικῶς sit in voluntate, quatenus eam *movet & afficit*, sed de hac quæstione plura posteà in *Art. 21.*

6. Ob. secund. *Si fiducia est in intellectu, non differt ab assensu: at hoc repugnat doctrinæ omnium Orthodoxorum*, qui hæc duo in fide distingunt, *assensum* & *fiduciam*. Respond. *fiduciam primo modo acceptam*, & *assensum* differre, ut *universale* & *particulare*, *fiduciam* verò *secundo, tertio, aut quarto modo acceptam*, differre ab *assensu*, *essentiali discrimine*: sunt enim

diversi specie actus mentis. Dico fiduciam primo modo acceptam differre ab assensu, ut universale & particulare: quia assensus, quem Theologi secundum actum fidei appellant, *est generalis quidam actus, quo intellectus totus DEI verbo assentitur*: hoc est, tum Legi, tum Evangelio. Fiducia vero *est particularis quidam & applicativus assensus*, pro obiecto habens primò *Evangelicas promissiones*, secundò *internum testimonium sancti spiritus*: nam per fiduciam & assentimur doctrinæ Evangelii, & testimonio Spiritus DEI, *unà testantis cum nostro spiritu, nos esse filios DEI*: atque ita nobis ipsis applicamus Evangelicas promissiones, certò statuentes & iudicantes nos esse filios DEI, & proinde illas promissiones non solùm aliis credentibus, sed nobis etiam in particulari esse factas.

7. Ob. tert. *Per solam voluntatem amplectimur & applicamus nobis ipsis promissiones gratiæ. Ergo fiducia quæ est actus applicativus fidei ad solam voluntatem pertinet.* Resp. applicationem gratiæ fieri & per *actum intellectus*, & per *actum voluntatis* (ut dictum est supra;) sed præcipuè per *actum intellectus*: magis enim applicat promissionem gratiæ mihi ipsi *indicando & certo statuendo eam ad me pertinere*, quàm *expetendo & desiderando gratiam promissam*.

8. Ob. quart. *Nullus unquam Orthodoxus*

Theologus

Theologus dixit, fiduciam esse assensum, aut iudicium mentis. Ergo ista sententia non est ferenda. Respond. primò, doctrinam de facultate, seu potentia animæ in quâ sita est fiducia, non esse dogma fidei; sive enim statuamus eam in intellectu sive in voluntate, parùm interest, modo reiecto Pontificiorum errore de incertitudine iustitiæ, dicamus eam esse verum fidei actum. Respond. secundò, Orthodoxos Theologos, cùm dicunt fiduciam esse in voluntate, loqui de fiduciâ secundo, tertio, aut quarto modo acceptâ. Respond. tertiò, quosdam doctissimos Viros asserere, fiduciam esse quendam assensum, aut iudicium intellectûs: nam *Zanchius, Tom. 4. Libro primo, Capite decimo tertio*, dicit fiduciam & fidem salvificam idem esse; & definit fidem salvificam sic; *Fides iustificans, est firmus & indubitatus assensus*, &c. Item fiduciam sic definit; *Fiducia est certissima persuasio de veritate promissionum*, &c. Assensus autem & persuasio ad intellectum pertinent, ut cuivis manifestum est. POLANUS etiam *Syntagmat. Theolog. Libro nono, Capite sexto*, dicit πληροφορίαν *esse plenam & certam persuasionem dubitationis & disceptationis expertem*, & cætera: & in secundo Libro partitionum Theologicarum dicit fidem specialem, seu salvificam, *esse internum cultum* DEI *dum promissioni Evangelicæ assentimur.*

9. Si quis autem pertinaciter hanc sententiam tanquam novam & prius inauditam damnet, quæram ex ipso, *ad quem actum fidei referendum putet illud applicativum judicium intellectus, de quo hic loquimur*; utrum videlicet referat illud ad *notitiam*, ad *assensum*, an verò ad *fiduciam*. Non potest particulare hoc & applicativum judicium referri ad notitiam præcedaneam, aut ad assensum generalem; nam istorum actuum objectum est *totum DEI verbum*: Ergo referri debet ad fiduciam, & per consequens fiducia ad intellectum pertinet, hoc enim judicium est actus intellectus.

ART. XX.

Utrum objectum fidei salvificæ sit remissio peccatorum jam impetrata? *An verò sit remissio peccatorum* impetranda & *obtinenda*? *Vbi obiter solvitur præcipuum argumentum* Bellarmini *contra* objectum & *naturam fidei justificantis.*

1. ACtus fidei salvificæ, qui est causa instrumentalis justificationis, non videtur esse fiducia *veniæ aut remissionis peccatorum impetratæ*, sed fiducia *veniæ impetrandæ*. Primò, quia *causa instrumentalis* justificationis præcedit justificationem

stificationem, seu remissionem peccatorum: sed fiducia veniæ seu remissionis impetratæ, eam sequitur: alioqui enim falsa esse convincitur, quia credere sibi *remissa est peccata*, quæ nondum *remissa*, sed per ipsum actum credendi sunt *remittenda*, est falsum & erroneum iudicium habere. Secundò, quia persuasio de *re aliquâ factâ*, semper est naturâ posterior *ipsâ re factâ*, & proinde non potest esse causa instrumentalis ipsius rei factæ: ratio antecedentis est, quia omne *objectum est naturâ prius suo actu*: actus enim ab obiecto dependet, illudque præsupponit: ratio item consequentiæ est, quia id quod est naturâ posterius, non potest esse causa eius quod est naturâ prius, cùm *omnis causa sit naturâ prior suo effecto*. Has duas rationes affert *Bellarminus, Libro primo de Iustificatione, Capite decimo*, sed frustra: nam pro eius sententia nihil faciunt, ut mox patebit.

2. Tertia ratio sit hæc: Si quis quærat, *quid sit credendum peccatori, ut remissionem peccatorum consequatur*: non satis appositè respondebo, si dicam, illi credendum esse, *quòd eius peccata sint iam remissa*: ridiculum enim est, dicere alicui, *ut hoc fiat, credo illud factum esse*: quia cùm dico, *credo hoc factum esse*, ego indico illud *iam esse factum*: cùm verò dico, *ut fiat*, indico illud *nondum esse factum*, sed esse possibile tantum: Hæc autem simul consistere nequeunt.

3. Quarta

3. Quarta ratio sit hæc: Quicunque DEUM orat, ut ei peccata remittat, confidens se esse unum ex eorum numero pro quibus CHRISTUS est mortuus, DEUM que exauditurum eius Preces propter CHRISTUM, is procul dubio remissionem peccatorum consequetur: nulla igitur necessitas nos cogit, asserere actum fidei salvificæ, qui est causa instrumentalis iustificationis, esse *fiduciam veniæ impetratæ*.

4. Interim non sum adeò absurdus, ut putem, fideles non habere eiusmodi fiduciam veniæ impetratæ, per meritum CHRISTI; aut ut putem hanc fiduciam non esse fidei salvificæ actum: revera enim est actus fidei salvificæ, sed naturâ posterior iustificatione, & quid eam consequens, ideoque non est ille actus fidei, qui est causa instrumentalis iustificationis nostræ.

5. De obiecto igitur fidei salvificæ hæc tenenda sunt: Primò tenendum est, *obiectum fiduciæ, non solùm esse remissionem peccatorum impetrandam & obtinendam, sed etiam eorundem remissionem iam impetratam*. Secundò, *fiduciam in hæc duo tendere per duos distinctos actus, quorum alter præcedit iustificationem, ut eius causa instrumentalis; alter eam sequitur, ut eius effectum & consequens*. Tertiò, *actum fiducialem, qui iustificationem præcedit, ut eius causa, esse persuasionem de CHRISTI satisfactione pro nobis in particulari, & de remissione peccatorum obtinendâ*,

obtinendâ, per & propter eius satisfactionem. Quartò, *actum fiduciæ eundem, qui iustificationem sequitur, esse præsumptionem de remissione peccatorum iam impetratâ, & de nostrâ perseverantiâ in eo statu usque ad finem vitæ.*

6. Hanc sententiam de obiecto fidei salvificæ amplexus sum, cùm primùm Theologiæ operam dare cœpi: sed eam suspectam habui, ob novitatem suam; ideoque eam in perpetuas tenebras damnaveram: verùm hoc ipso anno, dum legerem doctissimas animadversiones & castigationes *Davidis Parei, in 4. Tom. Bellarmini*, idem plane apud illum reperi, *Lib. 1. de iustificatione Cap. 10.* unde accidit ut tanti viri testimonio fretus & munitus, hanc sententiam evulgare non sim veritus.

7. Ex his patet, secundam rationem contra obiectum fidei salvificæ, à *Bellarmino* allatam *Lib. 1. de iustificatione Cap. 10.* nullius esse roboris, aut ponderis: ille enim sic argumentatur: *fides iustificans præcedere debet iustificationem: at fides specialis misericordiæ eam sequitur: Ergo fides specialis misericordiæ non est fides iustificans.* Respond. ad propositionem, fidem iustificantem præcedere iustificationem, sed *non secundùm omnes eius actus*: quidam enim actus fidei iustificantis iustificationem sequuntur: ut dictum est. Similiter ad assumptionem Respond. fidem specialis misericordiæ iustificatione posteriorem

steriorem esse, sed *non secundum omnes eius actus*: persuasio enim *de venia seu remissione peccatorum impetrandâ*, est actus illius fidei, quam *fiduciam specialis misericordiæ* vocant: ea autem iustificationem præcedit, saltem *ordine naturæ*.

ART. XXI.

An & quatenus fides ad voluntatem pertineat.

1. GVILELMVS ESTIVS, *in Lib. 3. Sent. Dist. 23.* dicit fidem partim intellectûs esse, partim voluntatis: intellectûs quidem tanquam *subiecti & propriæ potentiæ*: ipsum namque *credere*, seu assentiri, est actus *cognitivæ partis*: voluntatis verò, quia ab ea dependet tanquam *ab imperante, & consentiente principio*: *Cùm enim* (inquit) *humanæ menti proprium sit ratione discutere, & examinare singula rebus propositis assentiendum an non: ea verò quæ ad religionem pertinent talia fere sint, quæ rationis examen non admittant, utpote iudicio humanæ sapientiæ ut plurimùm improbabilia, ut docet Apost. 1. ad Cor. Cap. 1. vers. 18. profectò vel nunquam, vel rarò intellectus noster rebus huiusmodi acquiesceret, nisi voluntatis imperio & inclinatione*

inclinatione in assensum duceretur, & ut Apost. loquitur, 2. Cor. Cap. 10. in captivitatem redigeretur, in obsequium seu obedientiam CHRISTI. *Necessaria est igitur intellectui in credendo hac benigna voluntatis inclinatio, tum ut ad eas rationes se convertat, quæ fidem gignant, nutriantq́, vel saltem ostendant id quod creditur non esse absurdum; tum ut eas rejiciat, quæ assensum impedire, aut remorari possunt; unde de Abrahamo dicitur, Rom. 4. quòd non consideravit corpus suum emortuum, &c. est igitur assensus fidei ex consequenti etiam voluntatis actus, nimirum à voluntate imperatus, tum quoad eius initium, tum quoad eius continuationem.* Hactenus *Estius.*

2. *Daniel Tilenus, Syntag. part. 2. Disp. 40.* dicit *salvificam fidem esse subjective in solo intellectu, ἐνεργητικῶς verò seu effectivè pertinere ad voluntatẽ, quatenus eam movet & adscit: quemadmodum scientia quæ bonum à malo internoscimus, subjectivè inest menti, voluntati effectivè, cùm imperat aut elicit actiones, quas ratio dictat.* Hæc sententia differt ab opinione *Estii*, quia non refert fidem ad voluntatem ratione *originis suæ*, sed ratione *finis*, quem ex directione fidei capit voluntas, nam *illuminationem* fidei in mente sequitur *renovatio & emollitio* voluntatis.

3. *David Parens, in L. 1. de Justificatione,*

Cap.

Cap. 6. dicit, *Fidem non solùm effectivè, sed etiam subiectivè esse in voluntate, saltem quoad postremum eius actum, videlicet fiduciam:* quamvis enim *notitia* & *assensus* sint in solo intellectu, *fiducia* tamen ex ejus sententiâ formaliter est in voluntate, tanquam in subjecto.

4. Propositâ jam sententiarum varietate, meam mentem assertionibus aliquot proponam: prima sit hæc: *non est anxiè litigandum de subjecto fidei:* sive enim dicamus eam esse in intellectu, sive in voluntate, tanquam in subjecto, nihil detrimenti capiet nostra sententia, quæ asserit fiduciam specialis misericordiæ esse fidei actum. Dicet aliquis: *Bellarminus ex eo colligit fiduciam non esse fidei actum, quòd fiducia ad voluntatem, fides ad intellectum pertineat.* Respond. *Bellarminum* asserere quidem, sed nondum probasse fiduciam esse voluntatis actum, vide *Art.* 19.

5. Secund. assert. *fides est in solo intellectu propriè, subiectivè, & respectu suæ essentiæ*, ut loquitur *Titanus*. Ratio huius assertionis est, quia non solùm notitia, & assensus; sed etiam fiducia in intellectu existit: ut probatum est *Art.* 19. & per consequens tota fides est in intellectu.

6. Tert. assert. *quamvis fides in solo intellectu tanquam in subiecto existat, non est ideo putandum fidei habitum esse speculativum; &*

quasi

quasi otiosum; tum quia eius finis est πρᾶξις, nam *per charitatem operatur*, 5. *Gal. vers.* 6. tum quia ad voluntatem variis modis pertinet, licèt propriè & subiectivè in eâ non existat. Atque hinc est, quòd fides in S. Scripturâ sæpè *cordi* attribuatur, ut *Rom.* 10. *vers.* 9. & 10. *Si tu credideris in corde tuo*, &c. et, *Corde creditur ad iustitiam* &c.

7. Quart. assert. *Fides ad voluntatem pertinet*, primò ratione *originis*, secundò ratione *actûs annexi*, tertiò ratione *fructuum*, *qui ex fide in voluntate nascuntur*; pertinet ad eam ratione *originis*, quia intellectus noster piâ voluntatis inclinatione, & imperio, ad assentiendum movetur, & in captivitatem redigitur: unde assensus fidei appellari solet actus imperatus à voluntate; item denominari solet voluntarius & liber actus; videlicet quia dependet à principio liberè agente, h. e. à voluntate: atque hinc est quod dixit *Augustinus*, *neminem credere nisi volentem*: pertinet etiam fides ad voluntatem ratione *actûs annexi & concomitantis*; nam eo ipso instanti, quo fides in intellectu assentitur Evangelicis promissionibus, easque certo & stabili iudicio sibi applicat; voluntas ardenti amore gratiam & favorem DEI amplectitur: deniq; pertinet ad eam ratione *fructuum & operationum*, quia (ut dictum est) illuminationem fidei in mente sequitur sanctificatio & emollitio voluntatis.

ART.

ART. XXII.

Virum Charitas sit forma Fidei.

1. DVRANDVS, *in Lib. 2 Sent. Distinct.* 23. *Quæst.* 8. de hac controverlia in utramq; partem disserit & primo probat *Charitatem* non esse formam fidei, duabus rationibus: prima ratio est; Quia forma & id cuius est forma, in eodem subiecto existunt, at *Fides* & *Charitas* sunt in diversis subiectis, nam Fides est in intellectu, Charitas vero est in voluntate: Ergo Charitas non est forma Fidei. Secunda ratio est, quia *Charitas* neque est forma essentialis *Fidei*, neque accidentalis. Ergo nullo modo est eius forma. Probat antecedens sic; *Fides* potest esse sine *Charitate*: Ergo charitas non est eius forma essentialis: item *Charitas* est nobilior & præstantior *Fide*. Ergo non est eius forma accidentalis.

2. Deinde probat Charitatem esse Fidei formam, quia illud *per quod aliquid vivit & operatur*, est forma: at *Fides operatur per Charitatem, Gal. 5. vers. 6.* vivit etiam per eam, quia *sine operibus charitatis fides est mortua, Iac. 2. vers. 26.* Ergo Charitas est forma Fidei.

3. Vt quæstionem hanc dissolvat *Duran-*

dus,

dus, distinctione utitur, dicens Fidei habitū duobus modis posse considerari, videlicet secundùm eius *esse naturæ*, hoc est, secundùm eius essentiam; & secundùm eius *esse meritorium*; hoc est, quatenus meretur vitam æternam: secundùm priorem considerationem, dicit *Fidei* formam esse *Charitatem*, ut probant duo illa argumenta in prima assertione proposita: at secundùm posteriorem, putat *Charitatem* rectè appellari *Fidei* formam; idque quia actus Fidei non est meritorius, nisi quatenus imperatur à Charitate, sine quâ non habet rationem meriti.

4. Ex hac distinctione *Durandi* duo colligo: Primò, *Eos non rectè procedere contra Pontificios, qui probant Charitatem non esse formam Fidei, argumentis sumptis aut ab essentiali diversitate Fidei & Charitatis, aut à prioritate originis, quâ Fides Charitatem ordine naturæ præcedit, aut ex eo quòd Fides Charitatem dirigat, & Charitas Fidei obsequatur*, &c. ista enim argumenta non sunt *ad hominem*, ut loquuntur: nam nihil aliud probant quàm id quod Pontificij concedunt, viz. Charitatem non esse formam Fidei quoad ejus *esse naturæ*.

5. Secundò colligo, *doctrinam Durandi, & aliorum Pontificiorum de forma Fidei rejiciendam & explodendam esse: quia viz. nititur absurdissimo & periculosissimo illo dogmate de meritis Fidei & bonorum operum*: cujus falsitatem

evidentissimè demonstrant nostri Theologi in controversia de *justificatione*, idque quatuor præcipuè rationibus: primùm, *quia opera illa, quâ bona, non sunt nostra*; hoc est bonitas istorum actuum non nobis, sed DEO ascribenda est: Secundò, *quia opera illa sunt debita*. Tertiò, *quia nihil ex illis accedit DEO*. Quartò, *quia nullam habent analogiam ad præmium, quod est vita æterna*.

6. Argumentum Pontificiorum petitum ab operatione Fidei per Charitatem facillimè solvitur: nam *agens principale*, non solùm operatur per *formam*, sed etiam per *facultates suas*, & per *instrumenta sua*: & proinde neganda est illa consequentia: *Fides operatur per Charitatem: Ergo Charitas est forma Fidei*: nec minùs inepta est illa altera consequentia: *Fides sine operibus Charitatis est mortua: Ergo Charitas est forma Fidei*: si enim illa illatio bona esset, sequeretur caput aut cor hominis, esse ejus formam, idque quia homo sine capite aut corde vivere non potest.

ART.

ART. XXIII.

An Religio sit virtus Theologica à Fide distincta.

1. THOMAS AQUINAS *secundâ secundæ, Quæstione* 81. *Art.* 1. de *Religione* disserens, triplicem affert eius notationem, seu λόγον ὑποτυπωτικὸν: Prima est, quia *Religio* à *Religendo* dicitur, quòd illi qui sunt religiosi sæpiùs ea retractent, & quasi *relegant*, quæ ad divinum cultum pertinent. Secunda est, quâ religio dicitur à *Reeligendo*, quòd DEVM *reeligere* debeamus, quem amiseramus negligentes. Tertia est, quâ religio derivatur à *Religando*, quòd ea nos *religet*, seu denuò conjungat DEO omnipotenti. *Sive autem* (inquit *Thomas*) *religio dicatur à frequenti relectione, sive ex iteratâ electione eius quod negligenter amissum est, sive à religatione, religio propriè importat ordinem ad DEUM: ipse enim est cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in ultimum finem, quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo ac fidem protestando recuperare debemus.* Hæc D. THOMAS.

2. Religio à S. *Thoma* sic definitur, *Religio*

est, quæ DEO debitum cultum offert: à *Zanchio* sic explicatur, *Est virtus posita in vero veri DEI cultu tum externo, tum verò maximè interno:* à *Polano* sic describitur, *Religio est virtus animis nostris à DEO per Spiritum sanctum indita seu infusa, quâ religiosi & pii effecti, DEUM rectè agnoscimus & colimus; id est, ex ipsius voluntate in scriptis Propheticis & Apostolicis revelatâ:* à *Tileno* denique hac descriptione explicatur, *Religio est Cæremoniarum & Rituum à DEO præscriptorum observatio.* Hæc descriptio *Tileni* in hoc differt à præcedentibus, quòd non satis amplum obiectum religioni assignet: dicit enim eam versari circa ritus & cæremonias à DEO præscriptos: cùm tamen certum sit, religionem præcipuè versari circa cultum internum.

3. *Bellarminus, Tom. 1. controvers. 5. controvers. generali, Lib. 2. Cap. 2.* sic definit *Religionem: Religio est status hominum, ad perfectionem Christianam tendentium, per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota:* sed hæc definitio valdè inepta est: nam ut dicit *D. Thomas secundâ secundæ quæst. 81. Art. 2.* Religio est virtus quædam seu habitus mentis, & proinde non rectè dicitur status hominum &c.

4. Ex tribus primis descriptionibus *Religionis*, patet eam esse *rectam rationem colendi DEUM, seu habitum directivum earum actionum,*

enum, quibus DEUM colimus & veneramur: cùm enim natura noſtra corrupta, prona ſit ad concipiendum erroneas opiniones de DEO, & ſectandam falſas rationes eum colendi: noſter cultus DEO gratus & acceptus eſſe non poteſt, niſi præditi ſimus habitu aliquo directivo, cujus beneficio DEUM rectè agnoſcamus, & colamus.

5. Quæri ſolet, utrum hic *directivus habitus* ſit virtus *moralis*, an verò *Theologica*. *S. Thomas, ſecundâ ſecundæ quæſt.* 81. *Art.* 5. dicit Religionem eſſe virtutem moralem, & ejus opinionem amplectitur *Daniel Tilenus part.* 1. *Syntag. diſp.* 41. *Theſ.* 9. Contrà verò *Zanchius, Tom.* 4. *Cap.* 13, *in explicatione Theſ.* 1. *Polanus Synt. Lib.* 9. *Cap.* 1. & alii, dicunt Religionem eſſe virtutem à DEO per Spiritum ſuum animis noſtris inditam ſeu infuſam, & proinde Theologicis virtutibus annumerandam: morales enim ſeu Ethicæ virtutes à Deo non infunduntur, ſed crebrâ bonarum actionum iteratione acquiruntur.

6 Hujus quæſtionis determinationem tribus aſſertionibus proponam; & deinde ſolvam duo præcipua argumenta, quæ afferri poſſunt in contrarium. Prima aſſertio ſit hæc: *virtus illa cujus beneficio* DEUM *rectè agnoſcimus, & colimus, non poteſt naturæ viribus acquiri; ſed à* DEO *immediatè infunditur:* hoc autem probatur mani-

festè, quia ut docet ipse *Tilenus in disp. 2. quæ est de origine S. Scripturæ*, lux naturæ non sufficit ad DEUM rectè cognoscendum, multo minùs ad eum ritè colendum: & proinde opus est habitu quodam supernaturali, qui regulativus & directivus sit venerationis nostræ.

7 Secunda assertio; *Religio non est virtus à Fide re distincta*: nam Fidei competit definitio religionis, hoc autem sic ostenditur: Fides est habitus directivus & regulativus nostræ adorationis, quâ DEUM adoramus, & colimus: Ergo Fides est religio. Ratio antecedentis est quia per Fidem novimus quis cultus DEO gratus sit, & quomodo ille cultus DEO sit exhibendus.

8 Tert. assert. *Notitia voluntatis divinæ, quam ex verbo DEI habemus, duobus modis considerari potest: primò, quatenus est notitia, aut assensus nitens DEI testimonio in verbo suo: secundò, quatenus est notitia directiva, seu regulativa actionum nostrarum quibus DEUM colimus*: hæc notitia priori modo considerata appellatur fides, at quatenus posteriori modo consideratur, appellatur religio, & proinde fides non re, sed solâ ratione à religione differt.

9 Contra hanc sententiam objicitur primò; Religionem non esse virtutem Theologicam, quia Theologicæ virtutis objectum est ipse DEVS, at objectum religionis est cultus DEI, vel ut alii loquuntur, id quod DEO offertur;

fertur; videlicet *ſacrificia, jejunia, preces.* Reſp. virtutes Theologicas non tam ex objecto ſuo, quàm ex origine æſtimandas eſſe: illæ enim virtutes dicendæ ſunt infuſæ, ſeu Theologicæ, quæ noſtro labore & induſtriâ acquiri non poſſunt, ſed à DEO immediatè infunduntur. Secundò Reſpond. Religionem quatenus eſt à parte rei eadem cum fide, pro objecto habere ipſum DEVM: nam fidei objectum, ut omnes fatentur eſt ipſe DEVS.

10 Secund. ob. Religionem non eſſe virtutem ſupernaturalem, quia ex humanæ rationis dictamine ortum habet: nam *numen aliquo modo colendum eſſe* (inquit *Tilenus*) *omnium etiam efferatiſſimarum gentium conſenſu & more receptum eſt.* Reſp. Religionem non eſſe generalem notitiam quâ novimus numen eſſe aliquo modo colendum, ſed diſtinctam notitiam quâ novimus DEVM hoc particulari modo eſſe colendum; hoc eſt, hunc cultum & non alium eſſe DEO gratum, & acceptum: hæc autem notitia non poteſt ex humanæ rationis dictamine ortum habere, ut cuivis manifeſtum eſt.

ART. XXIV.

Oſtenditur Theologiam Viatorum *tribus modis accipi: & probatur*, Theologiam *primo modo acceptam non eſſe habitum à* Fide *rediſtinctum.*

1 MAgna eſt loquendi varietas, & mirabilia ſunt ſententiarum divergia in hac controverſia de natura, *Theologiæ Viatorum*. Primò enim. S. *Thomas*, & cum eo multi alii Theologi *Sententiarii* ſtatuunt *Theologiam eſſe ſcientiam*; quibus etiam adſtipulatur *Dudleius Fennerus* in limine ſuæ Theologiæ. Secundò, *Durandus*, *Canus*, & *Andreas Vega*, aſſerunt *Theologiam re non differre ab habitu fidei*. Tertiò, *Keckermannus* dicit, *eam eſſe prudentiam*. Quartò, clariſſimus *Junius*, in libello de vera Theologia, *Trelcatius* in prœmio Theologicarum inſtitutionum, *Polanus Libro* 1. *Syntag. cap.* 2. *Tilenus* in Syſtemate Oriſtico, & *Sharpius* noſter in curſu Theologico, affirmant *eam eſſe ſapientiam*. Quintò, *Balthaſar Meiſnerus*, in Philoſophiæ ſuæ Sect. 2. c. 2. quæſt. 1. dicit, *Theologiam per ſpecialius & magis proprium genus definiri non poſſe quàm per habitum* διάνοιαν.

2 Quan-

2 Quanquam controverſia hæc tractatur à ſcholaſticis in prologo primi Libri ſententiarum, revera tamen magis eſt Philoſophica quàm Theologica: Philoſophorum enim eſt, habituum diverſa genera conſiderare, & ex illa habituum claſſe cujuſlibet particularis habitûs genus depromere.

3 Vt igitur hæc controverſia magis dilucidè determinetur, tenendum eſt primò, *Theologiam tribus modis accipi*, ut rectè monet *Durandus in Prol. 1. ſent.* Primò enim accipitur *pro habitu quo aſſentimur toti ſacræ Scripturæ propter D E I authoritatem.* Secundò, *pro habitu quo aſſentimur concluſionibus Theologicis ex ſacra Scriptura deductis.* Tertiò, *pro habitu defenſivo & explicativo articulorum fidei*, qui appellari ſolet *Theologia Doctorum*, ſeu *Theologia ſcholaſtica.*

4 Secundò tenendum eſt, *Omnem habitum mentis, vel eſſe habitum ſciendi, vel habitum credendi, vel habitum opinandi.* Ratio hujus diviſionis eſt, quia habituum varietas oritur ex diverſitate actuum ad quos referuntur & ordinantur illi habitus: actus autem ad quos ordinantur omnes habitus intellectuales ſunt tres; videlicet *actus credendi, actus ſciendi, & actus opinandi*, & proinde tria ſunt genera habituum mentis noſtræ.

5 Tertiò tenendum eſt, *Habitum ſciendi, quatenus*

quatenus opponitur habitibus credendi, & opinandi, sub se complecti illa 5. habituum genera, quæ ab Aristot. enumerantur 6to Ethicorum. Latè enim hic accipitur *habitus sciendi*, pro *quavis notitia habituali certâ & evidente, sive ea sit de rebus necessariis, & speculabilibus, sive sit de rebus contingentibus, & operabilibus.* Talis autem notitia, non solùm cernitur in disciplinis speculativis, sed etiam in practicis. Nam illi, qui præditi sunt habitu *Prudentiæ*, seu *Philosophiæ moralis*, non opinantur, aut credunt, sed certò & evidenter sciunt, actiones liberalitatis esse honestas, & actiones vitiorũ ei oppositorum esse turpes & inhonestas: illi item qui periti sunt alicujus artis, non opinantur, aut credunt, sed certò sciunt suâ arte facta esse hoc vel illo modo efficienda: eorum enim notitia est experimentalis, & proinde est certa & evidens: certa autem & evidens notitia non est opinio aut fides, sed scientia: ut patet ex ijs quæ dicta sunt primo ARTICVLO.

6. His positis, ad quæstionem in titulo propositam Respondetur quatuor Assertionibus: prima est hæc, *Nullus habituum Aristotelicorum, Theologiæ primo modo acceptæ genus esse potest:* primò, quia omnes isti habitus sunt habitus *sciendi*, ut jam dictum est: item omnes isti habitus sunt hominum solertiâ inventi, & exculti, seu ex principiis naturâ notis deducti:

Theologia

Theologia autem non est habitus *sciendi*, sed *credendi*, ut mox patebit: Item non est habitus hominum solertiâ inventus, sed θεόδοτος: ejus enim principium non est *humana ratio*, sed *divina revelatio*.

7 Secundò: si specialiter percurramus omnes illos habitus, videbimus Theologiam sub eorum nullo contineri. Primò enim Theologia non est *ars*, quia non est *habitus effectivus*: non est *prudentia*, quia ea est *virtus directiva actionum civilium*: est enim ἕξις μεκτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπεια ἀγαθὰ, Lib. 6. Ethicorum, cap. 5. at Theologia est *virtus directiva actionum spiritualium*. Non est *intellectus*, quia *non versatur circa principia naturâ nota, & suâ luce clara*. Non est *scientia*, tum quia non est *habitus demonstrativus*, tum quia *in cognitione non acquiescit*; sed eam ad operationem ordinat & dirigit. Non est denique; *sapientia*, quia sapientia est *scientia quædam*: est enim τῶν τιμιωτάτων: at Theologia, ut dictum est, non est scientia.

8 Secunda assertio est hæc: *Theologia primo modo accepta, hoc est, accepta pro habitu, quo assentimur toti Scripturæ propter DEI authoritatem, nihil aliud est, nisi fides divina.* Probatur hæc assertio: primò, quia *fides est habitus assentiendi propter DEI authoritatem, at Theologia primo modo accepta, est talis habitus: Ergo est fides.* Secundò, *Theologus quâ Theologus non opinatur*,

natur, quia ejus notitia est certa, opinio verò est incerta; *non scit propriè*, quia scientia est evidens notitia, Viatorum autem notitia Theologica non est evidens, sed ænigmatica: *Ergo Theologus, quâ talis, credit; & per consequens Theologia est fides.*

9 Tertia assertio: *Quamvis fides historica improborum, quâ Scripturæ assentiuntur, aliquo modo dici possit Theologia, quia videlicet est notitia DEI, & rerum divinarum: sola tamen salvifica fides electorum, quâ & assentiuntur sacræ Scripturæ; & assentiendo sibi applicant promissiones Evangelicas, Theologiæ nomen meretur:* Ratio hujus assertionis est, quia vera Theologia non est habitus *speculativus*, sed *practicus*, ut postea probabitur: impiorum autem Theologia, *inefficax est*, & *otiosa*, non verò *activa*. Quæret aliquis: *In quo posita sit illa μεγέθη, quæ est Theologiæ finis?* Respond. eam esse positam in gratitudine nostra erga DEVM, pro singulari illo redemptionis nostræ beneficio; hoc est, *in agnitione, prædicatione, & celebratione clementiæ DEI, qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum &c.* Item, *in celebratione sapientiæ, justitiæ, & omnipotentiæ divinæ.* Hæc autem nemo præstare potest, nisi in corde suo habeat illam applicativam persuasionem & fiduciam de remissione peccatorum, de qua suprà locuti sumus; unde manifestè patet,

veram

veram & salutarem Theologiam rectè dici *fidem salvificam.*

10 Quarta assertio: *Errat* Balthasar Meisnerus, *qui dicit genus proximum Theologiæ esse habitum* ἕξιν: est enim ejus genus remotum solummodò. Probatur hæc assertio manifestè: quia, ut jam declaratum est, *veræ Theologiæ* in prima significatione, revera est habitus fidei salvificæ: genus autem proximum fidei salvificæ est fides divina in genere, prout complectitur sub se fidem historicam, temporariam, miraculosam, & salvificam: genus verò ejus remotum est habitus ἕξεως, hoc est, à DEO infusus, qui sub se continet *Fidem, Spem, & Charitatem.*

ART. XXV.

Probatur, contra Antonium Ruvium, *Theologiam secundo modo acceptam, non esse* scientiam, *sed* fidem divinam.

QVidam *Pontificii* Theologi nobiscum asserunt, Theologiam acceptam *pro habitu quo assentimur sacræ Scripturæ*, rectè dici fidem divinam; Theologiam verò acceptam *pro habitu conclusionum ex Scriptura deductarum*, non fidem, sed scientiam appellant; quia proximè non

nō innititur authoritati, ſed evidenti diſcurſui: hanc ſententiam optimè explicat, & defendit *Antonius Ruvius, in Logica Mexicana opuſc. de habit. Tract. 3.*

2. His Theologis ſi objicias, *ſcientiam eſſe notitiam evidentem: habitum verò concluſionum Theologicarum eſſe notitiam inevidentem*, Reſpondebunt *evidentiam* eſſe de eſſentia ſcientiæ *naturaliter acquiſitæ*, quam ſolam definivit *Ariſtoteles*; non verò competere ſcientiæ *ſupernaturali*, Theologiæ videlicet, quam ob defectum *evidentiæ* imperfectam eſſe ſcientiam fatentur.

3. Sed hæc Reſponſio non ſatisfacit, cùm enim *ſcientia* generaliter accepta, cum *fide* conveniat, in *firmitate & certitudine*, & ab ea diſtinguatur per ſolam *evidentiam*: proculdubio dicendum eſt, habitum illum, cui deeſt *evidentia*, modò *certitudo* & *firmitas* ei conveniant, nō ad *ſcientiam*, ſed ad fidem *referendum* eſſe: ſupra enim dictum eſt, fidem eſſe aſſenſum *certum & inevidentem*: præterea ſi habitus concluſionum Theologicarum ex Scriptura deductarum eſt habitus *certus* & *inevidens*, eſt ὑπόστασις οὐ βλεπομένων, & proinde eſt *fides divina*: at verum eſt prius fatente ipſo *Ruvio*: Ergo etiam & poſterius.

4. Alii Reſpondent notitiam concluſionum Theologicarum, revera eſſe evidentem; hoc enim

enim posito, quòd vera sint ea omnia, quæ in S. Scripturâ continentur, evidenter & perspicuè sequitur, conclusiones ex Scripturâ deductas esse veras: sed illi qui ita Respondent, non advertunt ad *evidentiam notitiæ* plus requiri, quàm ut conclusio cui assentimur, ex *præmissis* suis seu principiis *evidenter inferatur*: nam præter hoc etiam requiritur, ut *præmissæ, ex quibus infertur, sint evidentes*; hoc est, ut sciantur, non verò credantur.

5. Probatur hæc assertio: Quia si notitia conclusionum ex S. Scriptura ductarum sit evidens, quia illæ conclusiones ex Scriptura *evidenter & perspicuè* colliguntur, pari ratione notitia conclusionum, *evidenter & perspicuè ductarum* ex præmissis probabilibus, de quibus *opinionem* tantùm habemus, evidens dicenda est: at hoc est manifestè absurdum: nam notitia conclusionum ductarum ex præmissis probabilibus & opinabilibus, est *incerta*, & per consequens etiam *inevidens*.

6. Præterea sententiæ supradictæ falsitas ex eo patet, quòd credere non tantùm sit *assentiri testimonio propter testantis authoritatem*; h. e. assentiri alicui narrationi propter narrantis dignitatem, sed etiam *assentiri conclusioni ex eo testimonio deductæ propter illud testimonium*: qui enim assentitur alicui veritati ex testimonio deductæ, propter testimonium ex

quo

quo deducitur, is non propriè dicitur scire, sed credere rem ita se habere: idque quia fundamentum, quo nititur scientia, non est testimonium, sed ratio. Quare actus credendi, non tantùm est assensus quem præbemus DEI testimonio in Scripturâ proposito, sed etiam quem præbemus conclusionibus ex eo testimonio deductis.

ART. XXVI.

Probatur, Theologiam tertio modo acceptam, hoc est, Theologiam Scholasticam *esse habitum aggregatum ex* Fide, & Philosophicis disciplinis.

1. EX iis quæ dicta sunt in duobus præcedentibus Articulis, manifestè sequitur Theologiam esse habitum à DEO *infusum*, & non à nobis ipsis *acquisitum*: hoc autem videtur esse falsum, & quotidianæ experientiæ contrarium: videmus enim Theologiæ habitũ in adolescentibus non produci immediatè à DEO, sed potius per ipsorum diligentiam & indefessum laborem acquiri. Vt hæc difficultas tollatur, tenendum est in *Theologia primo & secundo modo acceptâ, duo esse consideranda.* Prius est, *informatio seu instructio mentis de credibilibus*, ut loquuntur Scholastici: hoc est, notitia quâ novimus

mus quænam dogmata in Scriptura credenda proponantur, & quænam dogmata ex Scripturâ per neceſſariam conſequentiam colligantur. Poſterius eſt, *inclinatio mentis ad aſſentiendum illis credibilibus*, h. e. firma perſuaſio de veritate iſtorum dogmatum: prior illa notitia non eſt *infuſa*, ſed *acquiſita* noſtro labore & diligentiâ; videlicet legendo, & relegendo Libros Prophetico & Apoſtolicos: at poſterior illa notitia ſeu perſuaſio, non eſt à nobis ipſis; ſed à DEO, qui mentes noſtras efficaciter movet, & inclinat ad aſſentiendum illis articulis.

2. At alia eſt ratio Theologiæ tertio modo acceptæ, viz: pro *habitu defenſivo, & explicativo articulorum Fidei*: nam in ea ſic acceptâ tria ſunt conſideranda: primò, *Informatio mentis de credibilibus*: ſecundò, *Aſſenſus quem præbemus illis credibilibus, ſeu articulis fidei*: Tertiò, *Facilitas ſeu promptitudo explicandi, defendendi, & confirmandi illos articulos, contra Hæreticos & alios Eccleſiæ hoſtes*. Primus actus à noſtro labore & induſtria dependet: ſecundus eſt à DEO ſolo, ut iam dictum eſt: at tertia illa eius pars noſtro etiam labore & diligentiâ comparatur; nam diligenter legendo & conſiderando controverſias Theologicas, acquirimus illam promptitudinem explicandi, & confirmandi noſtram ſententiam, & confutandi adverſariorum doctrinam.

3. Hinc patet, Theologiam tertio modo acceptam, non esse unum simplicem habitum, sed aggregatum ex habitu fidei, seu Theologiæ, & Philosophicis disciplinis: illa enim facilitas explicandi articulos fidei, & de illis disputandi, quam *Theologia Scholastica* superaddit habitui fidei divinæ, nihil aliud est quàm *Philosophia Theologiæ applicata.*

4. Vt autem hoc manifestum fiat, tenendum est, omnes ferè Philosophiæ partes suum usum habere in explicatione, & defensione articulorum fidei: primò enim, beneficio *Logicæ* Doctores explicant articulos fidei distinctè & methodicè, debito ordine proponentes rerum Theologicarum causas, effecta, subjecta, adjuncta: item solventes adversariorũ sophismata, & solidis rationibus cõfirmantes veram doctrinã.

5. Beneficio *Metaphysicæ* explicant multa DEI attributa, ut immensitatem, immutabilitatem, simplicitatem, æternitatem, &c. ejusdem etiam beneficio probant hæc attributa DEO verè attribui; & si quæ argumenta in contrarium afferantur, ea dissolvunt.

6. Beneficio *Physicæ* explicant facultates animæ rationalis: idque ut manifestum sit in qua facultate animæ hæc vel illa virtus Theologica sedem habeat. Denique beneficio *Ethicæ* explicant virtutes morales, quæ in decalogo præcipiuntur; & vitia eis oppositа, quæ ibidem vetantur.

ART.

ART. XXVII.

Theologiam esse similem omnibus habitibus Aristotelicis, *præcipuè verò Prudentiæ.*

1. NON desunt, qui asserunt Theologiam esse omnem habitum *eminenter*, sed non *formaliter*; id est, cujuslibet habitus quandam conditionem in S. Theologia excellenter expressam inveniri, quamvis sub nullo illorum habituum, tanquam sub genere, contineatur: primò enim, quatenus considerat DEUM, qui est *suprema & generalissima causa*, est similis *sapientiæ*: secundò, quatenus versatur circa *necessaria*, & ab *arbitrio humano non pendentia*, dici potest *scientia*: tertiò, quatenus considerat *prima & indemonstrabilia* principia Fidei, ex quibus conclusiones Theologicæ deducuntur, dici potest *intellectus*: quartò, quatenus *Actus Christiani hominis dirigit*, *Prudentia* appellari potest: quintò, *Arti* similis est quatenus est *ædificativa Ecclesiæ*: unde Apost. 1. *Cor.* 3. dicit, *secundùm gratiam quæ data est mihi, ut peritus Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.*

2. Si quis quærat, *an Theologia sit similior uni horum quinque habituum, quàm reliquis*: Respondebo, eam esse *Prudentiæ Civili* simillimam: primò enim, ei accommodari potest *Pru-*

dentiæ definitio: nam ſicut *Prudentia Civilis* eſt *habitus rectâ cum ratione activus*; i. e. *directivus actionum Civilium:* ita etiam *Theologia* eſt *habitus rectâ cum ratione activus*; i. e. *directivus actionum ſpiritualium.* Secundò, ſicuti *Prudentia*, quæ eſt *principium directivum* actionum *civilium*, in intellectu exiſtens, *operatur per virtutes morales* in voluntate exiſtentes, quæ ſunt *principia executiva* bonarum actionum, inclinantia & quaſi impellentia voluntatem ad id eligendum quod intellectus judicat eſſe melius; ita etiam *Theologia*, quæ eſt *principium directivum* bonarum actionum *ſpiritualium*, in intellectu exiſtens, operatur per *virtutes Theologicas* quæ ſunt in voluntate, hoc eſt, per *Charitatem*, & ejus *Filias*. Hæ enim ſunt *principia executiva* actionum *ſpiritualium*; hoc eſt, inclinantia voluntatem ad id eligendum, quod Theologia in intellectu exiſtens indicat *eſſe conforme voluntati DEI in verbo revelatæ:* atque hinc eſt quòd Apoſt. *Galat. 5. verſ. 6.* dicat Fidem operari per Charitatem.

3. Tertia ſimilitudo ſeu convenientia *Prudentiæ civilis*, & *Theologiæ*, in eo eſt poſita, *quòd utraque proponat ſibi felicitatem practicam conſequendam:* duplex enim eſt felicitas practica; videlicet, *Civilis* & *ſpiritualis*: illa poſita eſt *in actione ſecundùm optimam virtutem moralem*, hoc eſt, *juſtitiam univerſalem*; eſtque finis *Prudentiæ*

tientiæ Civilis: hæc verò posita est *in actione secundùm virtutem Theologicam præstantissimam*, videlicet *Charitatem*; estque finis *Prudentiæ Religiosæ*, hoc est, *Theologiæ*: hæc autem actio nihil est aliud, nisi *divinæ Majestatis adoratio, ex ferventi amore divinæ bonitatis proveniens, & conformis DEI voluntati in verbo patefactæ.*

4. Dicet aliquis: *Ultimus finis Theologiæ, seu felicitas Theologica, quam in hac vita assequimur, non est posita in actionibus charitatis: videtur enim potius consistere, vel in actu fidei justificantis, vel in ipsa justificatione hominis.* Respond. DEI *cultum & adorationem* rectè appellari *ultimum finem Theologiæ*, quem assequimur in hac vita; idque quia & fides & justificatio ad eum, tanquam ad ulteriorem finem referuntur: ideo enim illuminatur mens nostra per *fidem*, ideo etiam *remittuntur* nobis nostra peccata, ut DEUM colamus, ejusque clementiam & bonitatem celebremus.

ART. XXVIII.

Vtrum Theologia sit disciplina speculativa, an practica.

1. IN hac controversia variæ sunt Philosophorum sententiæ: primò enim, quidam dicunt Theologiam, nec *Practicam*, nec *contemplativam*

vam esse; sed altiorem practicis & contemplativis disciplinis, & proinde eam *affectivam* vocant; quia eius finis est DEI adoratio, proveniens ex *affectu* Charitatis alii dicunt eam simpliciter esse *contemplativam* & *practicam*, sed magis *contemplativam*: alii putant eam & *contemplativam*, & *practicam* esse, sed magis *practicam*: alii denique dicunt eam simpliciter esse *practicam*, & non *contemplativam*.

2. Vt intelligatur & confirmetur hæc postrema sententia, quæ omnibus reliquis præferenda est, notandum est primò, *eam notitiam dici theoreticam quæ in se ipsa acquiescit, & ad operationem non dirigitur, tanquam ad ulteriorem finem; eam verò dici practicam quæ ad operationem tanquam ad finem refertur*. Secundò notandum est, *notitiam aliquam duobus modis ad operationem tanquam ad finem dirigi posse*; videlicet, vel *absolutè & per se*, vel *secundùm quid & per accidens*: illa notitia *per se* ad praxin dirigitur, *quæ secundùm naturam illius disciplinæ, ad quam pertinet, ad operationem refertur*: sic notitia rerum Ethicarum est practica, quia natura Ethicæ postulat, ut omnia quæ in ea tractantur, ad operationem & usum referantur: illa verò notitia *per accidens* ad operationem refertur, *quæ non est practica secundùm naturam illius disciplinæ, ad quam pertinet, sed ratione finis quem sibi proponit is, qui eâ notitiâ est præditus*:

Sic notitia rerum Physicarum seu naturalium est practica *per accidens*, quando is qui eâ notitiâ præditus est, eam ad operationem aut usum dirigit & ordinat.

3 Tertiò notandum est, *eam notitiam, quæ per se & absolutè est practica, tribus modis ad praxin dirigi & ordinari.* Primò, ea notitia *per se* ad praxin dirigitur, quæ est *regulativa & directiva alicujus operationis*: Exempli gratiâ, notitia quâ sciunt Architecti quomodo ponendum sit fundamentum domûs, quomodo erigendi sint parietes, &c. est practica, quia est regulativa & directiva ædificationis. Secund. ea notitia *per se* ad praxin dirigitur, quæ est *incitativa & impulsiva ad operationem*: talis est notitia, quâ sciunt prudentes viri quæ commoda sequantur actiones honestas virtutum, quæ verò incommoda sequantur actiones vitiorum; hæc enim notitia incitat & impellit hominem ad actiones honestas. Tertiò, ea etiam notitia *per se* ad praxin dirigitur, *quæ neq; est directiva operationis, neq; est impulsiva ad operationem; sed secundùm naturam illius disciplinæ, ad quam pertinet, est prærequisita ad melius operandum & agendum.* Exempli gratiâ, in arte Medicâ, quæ tota est disciplina practica, agitur de partibus humani corporis, de partium morbis, de morborum causis, signis, Symptomatis, &c. quæ quidem notitia non est speculativa, sed practica, quia videlicet

natura illius artis postulat ut in eâ cognitione non acquiescamus, sed eam ad operationem dirigamus, & in praxin redigamus.

4 Ex his patet, illos Philosophos imperfectam & inadæquatam definitionem *practicæ cognitionis* afferre, qui dicunt, *eam solam notitiam esse practicam, quæ est de re operabili, estq; regulativa & directiva alicujus operationis*: inde enim sequetur, eam Medicinæ partem quæ considerat partes humani corporis, partium morbos, & morborum causas & signa, esse speculativam & non practicam: ista enim pars Medicinæ non est formaliter regulativa alicujus operationis, neq; est de rebus operabilibus, sed de rebus naturalibus: absurdum autem est, asserere illam Medicinæ partem esse speculativam; quia disciplina, aut pars aliqua disciplinæ, dicitur speculativa (ut rectè monet *Fonseca, Lib. 6. Metaph. Cap. 1. Quæst. 5. Sect. 5.*) à *fine ultimo & præcipuo*: finis autem ultimus illius partis Medicinæ, non est morborum *cognitio* & speculatio, sed *curatio*, ut cuivis manifestum est. Dixi disciplinam, aut partem disciplinæ, dici speculativam à *fine ultimo* & præcipuo; quia alioqui omnes *virtutes intellectuales*, & proinde etiam ipsæ *artes* essent *speculativæ*: nam *finis proximus* omnium *intellectualium virtutum* est *cognitio aut consideratio intellectûs*.

5 Ex his patet, totam *Theologiam* esse *practicam*

ſticam, & nullam ejus partem eſſe *ſpeculativam* primò enim, omnis notitia quam habemus de DEO & ejus operibus, ideo à S. Spiritu in cordibus noſtris gignitur, ut DEUM rectè cognitum ritè colamus; hoc eſt, ad modum ab ipſo in verbo præſcriptum. Secundò, ſi reſpiciamus naturam ipſius Theologiæ, videbimus omnem notitiam Theologicam *per ſe* & *ſuâ naturâ* vel eſſe *regulativam* alicujus operationis, vel *incitativam & impulſivam* ad operationem: notitia enim qua novimus quomodo DEUM colere & proximum diligere debeamus, eſt *regulativa* & *directiva* actionum noſtrarum erga DEUM & proximum: notitia verò quam habemus de natura & attributis DEI, incarnatione τῦ λόγυ, & aliis ſimilibus, eſt *incitativa ſeu impulſiva* ad amorem, timorem, reverentiam, & adorationem DEI Opt. Max. idq; ſecundùm naturam hujus diſciplinæ: nam DEVS ideo voluit nos ſcire ejus potentiam, ut eum timeamus, & revereamur; ideo voluit nos ſcire ejus bonitatem & miſericordiam, ut eum amemus & celebremus.

ART. XXIX.

An Theologia Viatorum *dici poſſit* ſpeculativa *à* ſpeculatione *ſeu viſione quæ futura eſt in* Patria.

1 PETRUS FONSECA, *Lib. 6. Metaph. cap. 1. quæſt. 5. ſect. 7.* dicit, *Theologiam revelationis*

lationis, seu *Theologiam Viatorum*, verè dici *speculativam*, quia finis ejus est *visio* seu *cognitio D E I* in *Patria*. Idem etiam apertè docet *Balthas. Meisnerus*, in Philosophiæ suæ *Sect. 2. Cap. 2. Quæst. 1.* verba ejus hæc sunt; *Finis Theologiæ non est beatitudo practica, sed potius theoretica, consistens in contemplatione & fruitione D E I.*

2. Hæc sententia falsa est, & rejicienda: primò enim omnis *finis denominans aliquem habitum*, vel est *operatio quam ille habitus elicit*, (quomodo scientia dicitur speculativa, quòd eliciat actum speculandi, seu contemplandi:) vel est *operatio quam habitus ille dirigit & regulat*, ut loquuntur: (quomodò prudentia dicitur activa, & ars effectiva, non quòd eliciant actiones & effectiones externas, sed quòd sint earum principia regulativa, seu directiva:) at illa beatifica D E I visio, neq; est *actus elicitus*, ab habitu *Theologiæ revelationis*, neq; ab eo *regulatur*: idq; quia *Theologia revelationis* evacuatur in *Patria*, & ei succedit *Theologia visionis*: Ergo *Theologia revelationis* non potest dici *speculativa*, ab illa *speculatione* seu *visione* quæ est in *Patria*. Secundò, ex eâ sententiâ sequitur, *Theologiam Viatorum* posse dici habitum DEI *intuitivum*, seu *habitum visionis*: illa enim *speculatio* à qua denominatio sumitur, est DEI *visio*: at hoc est absurdum, quia sic *Theologia via* confunde-

confunderetur cum *Theologia Patriæ*, quæ sola est DEI *intuitiva*.

ART. XXX.

An vera & propriè dicta Theologia possit esse in homine impio, seu non renato.

1 BALTHASAR MEISNERUS, *in Philosophiæ suæ Sect. 2. cap. 2. quæst. 1.* de hac controversia disserens: primò asseverat Theologiam dici habitum ἀνάλογον, non quòd omnes qui Theologiam docent, & sciunt, sint in statu gratiæ, & à S. Spiritu specialiter illuminati; sed partim ob principii, partim ob objecti cœlestem & divinam rationem. Secundò illud probat ex eo, quòd habitus Theologiæ cadat etiam in subjectum non renatum, & hominem perversæ vitæ: *sequeretur enim* (inquit) *aliàs Theologiæ habitum perire, si quispiam Theologus mortaliter peccaret; item illum redire, si pœnitentiam ageret; qualis alternata habituum abitio & reditio est absurda; cùm ἕξις à διαθέσει hoc unico distinguatur, quòd è subjecto tam facilè non cedat & moveatur.*

2 Hinc tertiò colligit, accuratè distinguendum esse inter θεολογίαν, & θεοσέβειαν: *aliud enim* (inquit) *est verus de DEO sensus, aliud pius erga DEVM cultus: hic πρᾶξιν, ille γνῶσιν denotat: utrumq; divinum est, sed diverso respectu; γνῶσις, quia DEI, & per DEVM, vel*

ejus

ejus verbum: πρᾶξις, *quia à DEO, & cum DEO, h. e. cũ gratiosa ejus inhabitatione conjuncta est.*

3 Contrariam sententiam profitetur *Bartholomeus Keckermannus, Lib.* 1. *Syst. Theolog. cap.* 1. dicit enim, *Theologiam esse facultatem & peritiam hominibus electis à DEO infusam*: unde patet, *Theologiam*, ex ejus sententiâ, in hominibus impiis & sceleratis inveniri non posse.

4 Hujus quæstionis determinationem duabus assertionibus proponam: prior est hæc; *homines improbi & flagitiosi possunt habere exactam & accuratam rerum Theologicarum cognitionem; possunt item habere miram facilitatem, & promptitudinem discutiendi controversias Theologicas*: hæc assertio evidens est, & quotidianâ experientiâ nititur.

5 Assert. secund. *notitia rerum Theologicarum, quâ præditi sunt impii & non renati, non est Theologia propriè dicta, sed æquivocè dicitur Theologia, quemadmodum homo pictus æquivocè vocatur homo*: sic *notitia rerum moralium*, quâ præditi sunt homines improbi & scelesti, æquivocè dicitur *Philos. moralis*: illi enim revera non sunt præditi habitu *Philosophiæ moralis*: idque quia *Philosophia moralis* & *Prudentia* sunt unus & idem habitus realiter: Prudentia autem in hominem improbum non cadit, teste *Arist.* qui sæpe ait, *Neminem qui non sit vir bonus, posse propriè prudentem appellari.* Vide *Jac. Martini*

Martini primam disputationem Ethicam, *q.* 5. ubi probat *Philosophiam moralem & Prudentiam* esse eundem habitum.

6 Posterior hæc assertio duabus rationibus efficaciter probatur: primò, *Theologia* est *virtus practica*, ut supra probatum est: at illa notitia controversiarum Theologicarum, qua præditi sunt impii, non est *virtus practica*: Ergo non est vera & propriè dicta *Theologia*. Probatur assumptio: virtus practica, seu operativa, nihil est aliud nisi *facilitas & promptitudo agendi ea quæ honesta & bona sunt*: at habitus ille quo præditi sunt impii, non est *facilitas, inclinatio, aut propensio ad ea agenda quæ bona sunt*: illi enim talem facilitatem non habent: Ergo non est *virtus practica*, seu operativa.

7 Secundò, notitia *rerum moralium*, quâ præditi sunt homines improbi, non appellatur *Prudentia civilis*: idq; quia inefficax est, & otiosa: Ergo pari ratione, inefficax & inutilis *notitia rerum Theologicarum*, qua præditi sunt impii, non est *vera Theologia*, seu *Prudentia religiosa*. Ratio consequentiæ est hæc: *Theologia* non minùs est *habitus practicus* naturâ suâ, quàm *Prudentia civilis*; & proinde si notitia rerum *civilium*, quam habent improbi, est indigna nomine Prudentiæ, quia caret *inclinatione* & propensione ad benè agendum *civiliter*; pari ratione, notitia rerum *Theologicarum*, qua præditi

sunt

sunt impii, est indigna nomine & titulo *Theologia*, seu *Prudentiæ religiosæ*; quia caret *inclinatione* & propensione ad benè agendum *spiritualiter*.

8 Ob. prim. *David*, & *Solomon*, cùm graviter peccarent, manebant *boni Theologi*, quamvis essent *mali Christiani*: Ergo, *vera Theologia* potest esse in homine impio. Respond. homines planè impios & pietate destitutos, neq; esse *bonos Christianos*, neque *bonos Theologos*, imò *verè* & *propriè* non esse *Theologos*: sicut enim homines mali & improbi, non sunt præditi vero habitu *moralis Philosophiæ*, seu *Prudentiæ civilis*; ita etiam impii, seu non renati, non sunt præditi vero habitu *Theologiæ*, seu *Prudentiæ religiosæ*: novi equidem eos, secundùm communem loquendi consuetudinem, esse *bonos Philosophos morales*, & *bonos Theologos*, qui rerum *Theologicarum* & *Ethicarum* periti sunt; verùm ut aiunt, *loquendum est cum vulgo, sentiendum cum sapientibus*, qui docent *virtutes practicas*, quales sunt *Theologia*, & *Philosophia moralis*, non posse esse in hominibus flagitiosis & impiis.

9 Ad illud autem quod objicitur, de *Davide* & *Solomone*, Respond. eos cùm graviter peccarent, neque fuisse *bonos Theologos*, neq; *bonos Christianos*, quia videlicet ea facinora patrabant, quæ *Theologia* seu *Christianitas* damnat:

fuisse

fuisse tamen *verè & propriè Theologos, & Christianos*; quia videlicet veram fidem & pietatem *totaliter* non amiserant.

10 Ob. secund. si habitus *Theologiæ* non cadat in hominem impium & non renatum, sequetur *Theologiæ* habitum perire, si quispiam *Theologus* graviter peccet; redire verò si pœnitentiam agat: illa autem alternata habituum abitio & reditio est absurda, quia tollit eorum stabilitatem & permanentiam, per quam à dispositionibus distinguuntur. Respond. negando connexionem propositionis: quamvis enim habitus veræ Theologiæ non possit esse in homine non renato, seu fide & pietate totaliter destituto, potest tamen esse, imò sæpè est, in fidelibus seu electis cùm graviter peccant, licèt tum non habeat tantam efficaciam, seu ἰσχύν, quantam aliâs habet: quare illa alternata habituum abitio & reditio nō nititur nostræ sententiæ fundamentis, sed absurdo *Pontificiorum, Arminianorum*, & ipsius *Meisneri* dogmate, *de Apostasia Sanctorum*: hoc enim posito, quòd is qui jam renatus est, possit statu gratiæ & regenerationis *totaliter* excidere, manifestè sequetur, habitum veræ *Theologiæ*, imò etiam habitus *Spei* & *Charitatis* esse obnoxios alternatæ illi abitioni & reditioni, de qua loquitur *Meisner*.

11 Tertiò: dicet aliquis, si *notitia rerum moralium*, quæ est in homine improbo, non est

Pruden-

Prudentia civilis: item, si *notitia rerum Theologicarum*, quæ est in homine non renato, non est vera *Theologia*, ad quos habitus referendæ sunt illæ notitiæ? Respond. peritiam *improborum Theologorum* esse habitum aggregatum ex *fide merè historica*, & *Philosophicis disciplinis: Notitiam verò rerum moralium, quæ cernitur in hominibus flagitiosis*, non constituere novam speciem habitûs à *Prudentia* distinctam, sed *ad Prudentiam referendam esse*, tanquam quid *imperfectum* & *incompletum*, ad id quod *completum* & *perfectum est*.

12 Concludo igitur hanc EXERCITATIONEM, de FIDE, hac Assertione: πίστις θεολογία, & θεοσέβεια, hoc est, *Fides Salvifica, Religio, & vera Theologia, sunt a parte rei unus & idem habitus*; hoc est, non differunt nisi ratione: rerum enim cœlestium notitia in renatis & fidelibus, quatenus *nititur DEI testimonio*, appellatur *Fides*: eadem, quatenus est *regulativa & directiva cultûs divini*, vocatur *Religio*: denique quatenus *artificioso systemate comprehenditur* & exprimitur, appellatur *Theologia*.

FINIS.

Gloria Tibi Domine.